

BEATI
RAYMUNDI

LULLI

*Est ad simplicem usum Francisci Laurentii Præmii
Minoritæ ac Observantiæ.*
DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS.

LIBER

MAGNUS CONTEMPLATIONIS
in Deum.

JUXTA MOGVNTINAM EDITIONEM
in folio Anni MDCCXL.

IN VARIOS TOMOS DISTRIBUTUS.
Tomus VI.

PALMÆ MAJORICARUM
anno MDCCXLVII.

Superiorum permissu.
Typis Michaelis Çerdà & Antich, & Mi-
chaelis Amoròs Typogr.

RAYMUNDI

DOCUMENTI

MAGNANIMUS

WIKI

LIBER

LIBER


LIBER

LIBER



BEATI
RAYMUNDI
 LULLI
 DOCTORIS ILLUMINATI
 ET
 MARTYRIS
MAGNVS LIBER
 CONTEMPLATIONIS
IN DEVM.
 VOLUMEN II.
LIBER III.
 DISTINCTIO XXIX.
 DE PERCEPTIONE.
 CAPUT CLXIX.

*Quomodo homo per res sensuales percipiat intel-
 lectuales.*



*EV*S gloriose, perfecte
in virtutibus! Tibi,
Domine, sit gloria &
 honor semper; quia,
 sicut speculum sen-
 suale repræsentat, &
 de-

4 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
demonstrat figuras sibi præsentes, ita res
sensuales sunt scala & demonstratio, per
quam homo ascendit ad percipiendum res
intellectuales.

2. Sed sicut, quando speculum est obli-
quum & malæ dispositionis, est indirectum
ad demonstrandum figuras secundum qua-
litate & dispositionem ipsarum, & per
obliquitatem, quam habet in se, mentiendo
demonstrat figuras in alia dispositione &
figuratione, in qua non sunt; ita, *Domine*,
quando res sensuales sunt inordinatæ &
turbatæ in sua dispositione & ordinatione,
mentiuntur in demonstratione, quam dant
de rebus intellectualibus, quæ sunt in una
dispositione, & ipsæ eas demonstrant in
alia.

3. Igitur, sicut mulier inquit specu-
lum rectum & clarum, ne falsò ei de-
monstret suam dispositionem, ita, *Domine*,
qui rebus sensualibus vult percipere intel-
lectuales, caveat ne sensualitates sint tur-
batæ & inordinatæ & impeditæ ad dan-
dum demonstrationem de illis, & conetur,
quan-

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CLXIX. §
quantum possit, eligere illas sensualitates,
quæ sunt convenientiores ad demonst-
randum & significandum intellectualitates, de
quibus vult certificari.

4. b. *O Domine DEVS, qui es Dominus*
nobilis super omnes Dominos, & es potens su-
per omnes principatus ! Quando homo audit
aliquam vocem vel aliquod verbum, per
illam vocem vel verbum se transfert ad
intelligendum aliquam rem: igitur auditio
est res sensualis, & significatio, quæ fit in-
tellectui hominis per ipsam, est res intel-
lectualis in ipso; & secundum quod est
qualitas sensualitatis, percipitur in illa sig-
nificatione qualitas intellectualitatis.

5. Quando homo, *Domine*, sensuali-
ter & corporaliter aspicit & videt figuras
& colores & demonstrationes, quas ei fa-
ciunt sui oculi corporales, tunc sua anima
intelligendo distinguit inter colorem &
colorem, & inter figuram & figuram & in-
ter qualitatem & qualitatem: igitur ex de-
monstratione, quam faciunt oculi corpo-
rales sensualiter, se mutat homo ad intel-
ligendum

6 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ligendum & percipiendum intellectualiter
id, quod animæ demonstratur per signifi-
cationes sensualitatum.

6. Quando homo, *Domine*, odoratur
vel gustat vel tangit aliquam rem corpo-
ralem sensualiter, tunc sensualitates signi-
ficant & demonstrant intellectualitatibus
naturas & proprietates & diversitates re-
rum elementatarum tactatarum per odora-
tum vel per gustum vel per tactum: igitur
per odorationem vel gustationem vel tac-
tionem ascendit homo ad intelligendum
intellectualiter naturam rerum sensatarum,
quam habet in generalitate rei intellectæ
& scitæ per individualitates, quas sensit
sensualiter.

7. c. *O Domine DEVS, qui es fons &
radix & perfectio omnium virtutum & om-
nium complementorum!* Quando artifex vult
construere navem, & habet ante se ligna,
de quibus vult eam construere, tunc videt
sensualiter materiam navis, & videt intel-
lectualiter ipsam navem: igitur per repræ-
sentationem sensualem factam oculis cor-
poralibus

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CLXIX. 7
poralibus repræsentatur animæ intellectualiter forma navis.

8. *Amabilis Domine* ! Sicut artifex videndo ligna æstimat quænam navis & cuius quantitatis possit fieri ex ipsis, ita homines, qui intendunt facere aliquam rem, vident intellectualiter qualitatem & quantitatem significatam in rebus sensualibus, quæ repræsentant intellectualitati, quomodo ipsæ sint paratæ, ut sint subiectæ illi rei, quam homo proponit facere de ipsis.

9. Quando sensus corporales, *Domine*, qui sunt res sensuales, funguntur suo officio per operationem, quam homo habet per ipsos in rebus sensualibus, se mutat ad intelligendum & cognoscendum res intellectuales; quia per operationem sensuum corporalium transit ad memorandum id, quod antea non memorabat, & ad intelligendum id, quod non intelligebat, & ad volendum id, quod non volebat: igitur, quando memoria, intellectus & voluntas tractant de aliis rebus, quæ non sunt illæ sensualitates, per quas receperunt motum
ad

ad cogitandum & intelligendum & ad habendum conscientiam & subtilitatem & animositate, tunc anima hominis operatur intellectualiter in sensibus intellectualibus memorando, intelligendo & volendo.

10. d. *Juste Domine, cui placet habere misericordiam & facere gratias!* Sicut per compositionem & conjunctionem & mixtionem, quæ fit ex elementis, sensualiter demonstratur & repræsentatur corpus, ita per mutationem, quâ homo se mutat à sensualitatibus ad intellectualitates, habet cognitionem de intellectualitatibus, quas antea non cognoscebat: igitur, sicut corpus sensatum venit de potentia in actum per conjunctionem elementorum, ita in cognitione hominis intellectualitates veniunt de potentia in actum per repræsentationem, quam de ipsis dant sensualitates.

11. Nam sicut ministri Regis intellectualiter cognoscunt, quòd Rex amet equitem venientem ad se, quando vident, quòd

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CLXIX. 9
quòd ipsum recipiat hilari vultu; & istam
cognitionem recipiunt ex vultu Regis &
ex acceptatione, quam habet eques erga
ipsum; ita ex statu & circumstantiis sen-
sualitatum percipit homo intellectualita-
tes.

12. Quia res sensuales, *Domine*, sunt
oculi, per quos homo percipit & videt res
intellectuales memorando, intelligendo &
volendo, propterea, quando homo vult oc-
cultare suas intellectualitates, ne alii pos-
sint eas percipere, facit contraria signa, &
ostendit contrarias similitudines, ut possit
facere res contrarias illis, quas suæ sensua-
litates significant; sed, quia homines fa-
ciunt istas deceptiones ad invicem, quan-
doque accidit, quòd in contrariis signis
percipiant alii intellectualitates, quas ho-
mo vult eis occultare, & quas vult habere
secretas.

13. e. *Sanctificate Domine super omnes*
fortitudines, abundans virtutibus! Ratio &
causa, quare homines habitantes in civi-
tatibus & in locis, in quibus est multitudo
per-

personarum, habent majorem perceptionem & cognitionem de rebus intellectualibus, quàm habitantes in agris & in locis desertis, est, quia in locis, in quibus est multitudo personarum, plures & diversiores sunt sensualitates, quàm in aliis locis, & quò plures sunt sensualitates, eò plures sunt intellectualitates, quæ percipiuntur per ipsas.

14. Quando homo, *Domine*, videt alium indutum humilibus vestimentis, & audit eum loqui pia & humilia verba, & videt eum humiliter incedere & facere bona opera, potest percipere in eo fidelitatem & veritatem & humilitatem & alias intellectualitates; quia per signa exteriora cognoscit & percipit homo intellectualitates, quæ sunt in anima.

15. Hypocritæ, *Domine*, ut possint decipere alios homines, & eos inducere ad dandum laudes de ipsis, in suis sensualitatibus significant res contrarias suis intellectualitatibus; quia exterius sunt humiles & pulchrorum verborum, sed interius sua
in-

intentio & sua voluntas sunt plenæ falsitatis & deceptionibus : igitur opera , quæ ipsi faciunt sensualiter significando veritatem demonstrant intellectualiter vitia intellectualia , quæ ipsi putant occultare sub pauperibus vestimentis & humilibus verbis.

16. f. *Sapiens Domine in omnibus rectitudinibus, á quo descendunt omnes misericordiae!* Per hunc mundum , qui est res sensualis, percipimus alium, qui est res intellectualis respectu hominum habitantium in isto ; quia per opera, quæ videmus & audimus & palpamus, & per brevem vitam, quam vivimus, percipimus esse alium mundum; quoniam bona & mala, quæ homines faciunt, non videmus remunerari in isto; & per hoc cognoscimus, quòd oporteat esse alium, in quo remunerentur; quia aliter Tu non esses justus, cùm multi peccatores malæ vitæ habeant multas prosperitates in hoc mundo, & multi justi habeant multas adversitates in ipso.

17. *Quando homo, Domine, sensualiter*

ter

ter videt, quòd omnes res hujus mundi ei ferviant, scilicet firmamentum & vegetabilia & animalia & metalla & omnia corpora elementata, per istam sensualitatem, quam videt in creaturis, quæ sunt ei subjectæ, percipit intellectualiter, quòd ipse sit obligatus & subditus alicui rei, quæ eum honoravit supra creaturas, quarum se videt dominum & possessorem.

18. Quando homo, *Domine*, per rem sensualem percepit rem intellectualem, oportet, quòd intelligat rem intellectualem secundum naturam intellectualem; quia, si eam putaret intelligere secundum naturam sensualem, erraret & non perciperet res intellectuales per sensuales; quia, sicut res sensuales dirigunt hominem ad percipiendum intellectuales, ita ipsum perturbarent, si vellet intelligere eas esse illius naturæ, cujus sunt res sensuales.

19. g. *O Domine DEVS, qui es amor & placitum mei cordis, & qui facis durare meos oculos in lacrymis & ploratibus! Perceptio & cognitio hominis incipit ascendere*

dere à rebus sensualibus ad intellectuales; & quando est in intellectualibus cognitis per sensuales, ascendit ad alium gradum, & cognoscit & percipit alias intellectualitates per primas; & quando est in tertio gradu, potest ascendere ad quartum per fidem, supra quam cognitio non potest ascendere nec ad ipsam pervenire, quia ratio & intellectus, cum sint in natura hominis, non possunt tantum ascendere, quantum fides, quæ est supra ipsam.

20. Sicut cognitio hominis, *Domine*, per unum gradum ascendit in alium usque ad supremum, ita ipsa potest descendere per ignorantiam & oblivionem à supremo gradu usque ad infimum; quia per eosdem gradus, per quos homo potest ascendere, potest etiam descendere.

21. Nam sicut ordinatio facta ex sensualitatibus & intellectualitatibus ordinat gradus, per quos cognitio hominis potest ascendere à rebus sensualibus ad intellectuales; ita inordinatio facta ex sensualitatibus & intellectualitatibus inordinat ipsos gradus;

gradus ; & per hanc inordinationem descendit cognitio hominis ad ignorantiam ; quia magna ira vel magnum gaudium vel magnus fervor inordinat in homine gradus, & facit cognitionem ipsius descendere ad ignorantiam & bestialitatem.

22. h. *O Domine, ad quem vigilanter tendunt mea desideria & mea considerationes!* Sensualitas in parte sentitur ab homine, & in tota sua generalitate intelligitur ab ipso ; & ita per partem, quam homo sentit, ascendit ad percipiendum totum, ut patet in particula mellis & fellis, quam homo gustat, per quam percipit totum mel esse dulce, & totum fel esse amarum.

23. *Quantitas sensualis, Domine, significat & demonstrat quantitatem intellectualem;* quia in hoc, quòd homo videat corpus habere quantitatem finitam & terminatam in figura, intelligit animam habere quantitatem finitam & terminatam in virtute; quoniam, sicut corpus est finitum in figura, ita oportet animam esse finitam
in

Vol. II. Lib. III. Di. XXIX. Cap. CLXIX. 15
in virtute: igitur, sicut quantitas sensualis
est in individuis corporalibus & extendi-
tur secundum multitudinem ipsorum, ita
quantitas intellectualis est in operibus vir-
tutum & extenditur secundum multitudi-
nem ipsarum.

24. *Amabilis Domine!* Per differen-
tias & proprietates & per concordantias &
contrarietates, quas homo sentit in rebus
sensualibus, percipit differentias & pro-
prietates, concordantias & contrarietates,
quæ sunt in rebus intellectualibus; quia,
sicut res sensuales concordant generando,
& discordant corrumpendo, ita res intel-
lectuales concordant amando, & discordant
odiendo.

25. i. *Pie Domine, qui aggratias meum
cor amore & placito!* Per conjunctionem,
quam videmus sensualiter factam in indi-
viduis ex materia & forma sensualibus,
percipimus conjunctionem factam intel-
lectualiter ex materia & forma in indivi-
duis intellectualibus; & per multitudinem
individuorum sensualium animalium per-
cipimus

cipimus multitudinem individuorum intellectualium; quia, si individua intellectualia essent privata, individua sensuaria non possent esse animata.

26. Quælibet intellectualitas, *Domine*, habet appropriatam sensualitatem, quæ posset esse ei subjectum, per quod cognoscatur, & ita quædam intellectualitates habent aliquas sensualitates, per quas percipiuntur, & aliæ alias, & sic de gradu in gradum quælibet intellectualitas habet sensualitatem sibi proportionatam ad significandum & demonstrandum ipsam humano intellectui.

27. Per magnam ignorantiam, quam homines habent de sensualitatibus, *Domine*, & per hoc, quòd non sciunt percipere convenientiam, quæ est inter intellectualitatem & sensualitatem, ratione cujus intellectualitas potest percipi per sensualitatem, sunt multæ intellectualitates ignoratæ ab ipsis, quæ essent scitæ, si ipsi haberent cognitionem de sensualitatibus, quæ sunt subjecta proportionata ad significandum

Vol. II. Lib. III. Di. XXIX. Cap. CLXIX. 17
ficandum & demonstrandum illas; quia, sicut infidelis ignorat tuam Passionem in Figura Crucis per hoc, quòd non credat in ipsam, ita Christianus Catholicus per figuram Crucis, quæ est res sensualis, percipit gravem mortem, quam sustinuiſti, quæ mors est ei res intellectualis, quia solum est in sua imaginatione & in sua memoria.

28. K. *O Domine DEVS, qui imple meos oculos lacrymis & ploratibus, & in meo corde conjungis amores & contritiones, & in meo ore ponis orationes & laudes!* In magnitudine, quam sensualiter videmus in mundo, percipimus tuam Magnitudinem intellectualem; quia, qui fecit adeò magnum mundum, sicut est iste, significatur, quòd sit Creator valde magnus & valde mirabilis.

29. In pulchra dispositione & pulchra ordinatione, quam sensualiter videmus in mundo, *Domine*, intelligimus & percipimus intellectualiter tuam magnam Sapientiam & tuam magnam Potestatem & tuam

B

mag-

magnam Justitiam & tuam dulcem Misericordiam & omnes alias tuas virtutes; quia, quidquid demonstras nostris sensualitatibus, est demonstratio tuarum virtutum, à quibus descendunt omnes ordinationes, quæ sentiuntur in sensualitatibus.

30. Quotidie legimus & addiscimus, *Domine*, in rebus sensualibus res intellectuales; quia, sicut figuræ literarum, quæ sunt res sensuales, nobis demonstrant intellectualitatem intellectus, quam significant; ita sensualitates ostendendo nostris oculis se habere principium & medium & finem, & habere passionem, significant & revelant se habere Creatorem, qui eas creavit; quia, cum sint finitæ, non sunt dignæ esse sine principio, & per pœnas & placita, quæ sentimus sensualiter, nobis significantur intellectualiter pœnæ infernales & gloriæ, quas homines habent in tua præsentia divina.

CAPUT

QVO MODO HUMANVS INTEL-
lectus per quasdam intellectualitates per-
cipiat & intelligat alias.

1. **O** *DEVS* magne in omnibus magni-
tudinibus, honorate in omnibus ho-
norationibus! Quando homo, Domine, per
communitatem sensuum sensualium & in-
tellectualium percepit & cognovit intel-
lectualitates, quæ per istam communita-
tem percipiuntur & cognoscuntur, tunc
per ipfas percipit & intelligit alias intel-
lectualitates, quæ non adeò faciliter per-
cipiuntur, sicut illæ, quæ possunt percipi
per communitatem sensuum sensualium
& sensuum intellectualium.

2. Quando intellectus hominis, Do-
mine, intelligit in generali formam sinè
materia, vel materiam sinè forma, percipit
intellectualitatem, quæ non potest intel-
ligi per communitatem sensuum sensua-
lium & intellectualium, imò intelligitur

supra

supra intellectualitatem perceptam per prædictam communitatem; quia forma sinè materia, vel materia sinè forma nullatenus potest sentiri, & ideo solùm percipitur in intellectualitate, quin in sua perceptione habeat partem sensualitas.

3. Quando intellectus hominis, *Domine*, adeò se elongavit à sensibus sensualibus, & adeò se profundavit in sensibus intellectualibus, quòd non tractet de ulla sensualitate, imò quidquid tractat, sit intellectuale & spirituale, tunc tractat de aliis intellectualitate percepta per primam intellectualitatem, sicut quando per formam vel materiam elementalem intellectualiter intellectam, in quantum homo intelligit materiam sinè forma vel formam sinè materia, intellectualiter percipit formam & materiam spirituales componentes animam hominis creatam ex nihilo in corpore humano; quæ compositio est simplex in comparatione compositionis corporis.

4. b. *O Domine, ad quem recurrunt omnes nostra vires & omnes nostra spes! Quando*

do homo cogitat in quantitate, quæ est in anima secundum virtutem, intelligit illam quantitatem esse majoris virtutis, quam sit virtus corporis humani, quod non habet suas virtutes tantum extensas in quantitate sensuali, quantum habet anima suas extensas in quantitate intellectuali.

5. Demonstratio, per quam homo, *Domine*, percipit animam esse majoris virtutis in sua intellectualitate, quam corpus in sua sensualitate, est per hoc, quod corpus non possit extendere suam virtutem sensualem per tot & tam diversa loca, nec per tam longa spatia locorum, sicut extendit anima suam virtutem intellectualem; quia anima potest percipere in hoc mundo id, quod est in alio, & anima, quæ est in occidente, potest habere imaginationem & cognitionem de rebus, quæ sunt in oriente, dummodo ibi fuerit sensualitas; sed corpus non potest ad tantum sufficere.

6. In intelligentia, quam homo, *Domine*, habet de virtute animæ, percipit, quod substantia animæ sit multo nobilioris na-

turæ

turæ & multò nobilioris dispositionis, quàm substantia corporis; quia, sicut substantia animæ remotiùs & velociùs extendit suas virtutes, quàm substantia corporis, ita percipitur & intelligitur intellectualiter multò nobiliorem rem esse substantiam animæ, quàm substantiam corporis.

7. c. *O Domine DEVS, qui es perdurabilis omni tempore!* Quando cogito in anima hominis & intelligo ipsam habere vitam intellectualem, percipio in ea esse voluntatem, intellectum & memoriam, & ita per vitam, quæ est res intellectualis, percipio intellectualitates, existentes in ipsa; & sicut per vitam animæ homo intelligit & percipit virtutes existentes in anima, ita percipiendo & intelligendo ipsas virtutes percipit & intelligit vitam esse in anima; quia sinè vita virtutes intellectuales non possent esse in ea.

8. Percipiendo quòd anima, *Domine,* habeat majorem virtutem intellectualem, quàm corpus sensualem, & percipiendo sapientiam & scientiam, & amorem in ani-

ma

ma per vitam homo percipit duas res diversimodè, quia perceptio majoris quantitatis, quam percipit in virtute animæ, fit secundùm relationem minoris quantitatis, quam corpus habet in sua sensualitate, & perceptio, quâ homo percipit in anima esse virtutes per vitam, non fit secundùm relationem quantitatis, imò fit secundùm relationem qualitatum & virtutum existentium in subjecto.

9. In hoc, quòd in anima hominis, *Domine*, percipiatur quantitas in virtute, percipit homo substantiam animæ, quæ est subjectum illius virtutis, esse finitam & terminatam; quia, sicut virtus animæ non sufficit ad percipiendum & cogitandum & imaginandum & amandum & intelligendum omnia, ita oportet, quòd substantia, in qua est ista virtus, sit finita & terminata; quia si subjectum virtutis esset infinitum, significaretur, quòd virtus esset etiam infinita: igitur, cum virtus sit finita & terminata, percipitur & intelligitur, quòd substantia animæ sit finita & terminata.

10. d.

10. d. *Patiens Domine, qui es causa omnis pacis & omnis nostræ salutis!* Quando cogito in anima hominis, & imaginor ipsam esse rem durabilem & non privabilem, percipio in ipsa tertium significatum, quod non est simile duobus præteritis, & istud est concordantia, quæ est in substantia ipsius, ratione cujus concordantiæ ipsa est durabilis; & melius significat durabilitas concordantiam esse in substantia animæ, quàm magnitudo & vita significant ipsam esse durabilem.

11. Quando homo, *Domine*, affirmat & intelligit animam esse substantiam durabilem incorruptibilem, significatur intellectui, quòd durabilitas, quæ in anima est natura, per quam ipsa est incorruptibilis, exeat ab illa re, per quam ipsa est magna, & ab illa, per quam est sciens & cognoscens & amans & volens; quia per concordantiam, quæ est facta in natura & substantia animæ inter vitam, quæ est in substantia, & substantiam, quæ est viva in ipsa, est anima durabilis & incorruptibilis,

lis.

12. Magnitudo & vita, *Domine*, non dant adeò magnam significationem, quòd substantia sit durabilis, sicut concordantia & convenientia, quæ est in ipsa substantia; quia multæ res sunt magnæ & vivæ, quæ non sunt durabiles; sed durabilitas non potest esse in ulla re, nisi natura & substantia ipsius habeant concordantiam & convenientiam in natura sinè ulla corruptione.

13. e. *Humilis Domine, qui es plenus dulcedine & pietate!* Cùm nos perceperimus, quòd in anima hominis significantur tres res, quarum una est magnitudo, alia vita, & alia durabilitas, per istas tres significationes percipimus in ipsa esse tres proprietates significatas per tres res prædictas, & istæ tres proprietates significant se esse unum solum esse intellectualem, scilicet unam substantiam spirituales.

14. Quando homo, *Domine*, percipit substantiam animæ esse magnam, percipit unam rem, & quando percipit ipsam esse vivam in tota sua magnitudine, percipit
aliam

aliam rem, & quando percipit ipsam habere concordantiam in natura suæ durabilitatis, percipit aliam rem, & ex his tribus significationibus, quas homo percipit in substantia animæ, intelligit ipsam esse in tribus rebus, quæ sunt una substantia solum; quia tota magnitudo, per quam substantia est magna, est viva, & tota vita, per quam ipsa est viva, est magna per totam magnitudinem, & tota concordantia, per quam ipsa est durabilis, exit à magnitudine, per quam est magna, & à vita, per quam habet voluntatem & sapientiam.

15. Quando intellectus hominis, *Domine*, adeo altè elevatus est, quòd percipit intellectualiter tres res esse in anima, & omnes istas tres esse unam simplicem substantiam; postea ascendit ad alium gradum, & percipit omnes tres res, quæ sunt una substantia animæ, esse æquales in virtute & natura & bonitate; & postquam ipse ascendit usque ad supremum gradum, in quo potest percipere animam, ascendit supra se ipsum & supra ipsam animam, &

per-

percipit, quòd sicut ipsa est in tribus rebus, quæ sunt una substantia, & omnes tres habent æqualem virtutem & bonitatem; ita tua divina Natura sit in una substantia tres Personæ, & in tribus Personis una substantia, in qua Personæ sunt æquales in Virtute & Bonitate & Gloria.

16. f. *O Domine DEVS, ad quem vadunt mei amores, & à quo veniunt meæ lacrymæ & mei ploratus!* Qui bene sciret percipere & intelligere intellectualitates, quæ sunt in suamet anima, per ipsas, si vellet & sciret, posset percipere & intelligere tuam divinam Essentiam, quia per significationes naturæ animæ potest homo elevare suam cognitionem ad intelligendum & percipiendum tuam Substantiam in tribus Personis.

17. *Sicut percipimus, Domine, in anima hominis esse quandam proprietatem, per quam ipsa est major in virtute, quàm corpus, ita, quando affirmamus tuam Substantiam esse infinitam in Virtute & in se ipsa, intelligimus & percipimus in ipsa, esse quandam*

quandam proprietatem, per quam sua magnitudo est major, quàm magnitudo firmitati, quæ est finita; & sicut percipimus in anima hominis esse quandam proprietatem, per quam ipsa habet Voluntatem & Scientiam, ita percipimus in tua Substantia esse quandam proprietatem, per quam ipsa habet sapientiam & voluntatem & cognitionem; & sicut percipimus in anima esse quandam proprietatem, per quam est durabilis & incorruptibilis, ita percipimus in Te esse quandam proprietatem, per quam es æternus & perdurabilis.

18. Quando humanus intellectus, *Domine*, intellexit in tua Substantia Trinitatem Personarum & Unitatem Substantiæ, tunc potest percipere in ipsa generationem & processionem per significationes, quæ sunt in anima hominis; quia, sicut proprietas, per quam ipsa anima est intelligens, generatur à proprietate per quam est memorans, & proprietas, per quam est volens, exit à proprietate, per quam est memorans, & à proprietate, per quam est

in-

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CLXX. 29
intelligens; ita & adhuc multò meliùs finè
omni comparatione Persona Filii genera-
tur à Patre, & Persona sancti Spiritus exit
à Patre & Filio; sed, quia verbum non po-
test tantum sufficere, quantum intellectus,
propterea deficit verbum, quod est res
sensualis, & non potest ita bene significare
& pronuntiare ista, sicut intellectus, qui
est res intellectualis, potest ea percipere &
intelligere.

19. g. *Cælestis Domine, plene humilitate
& dulcedine & placito!* Licèt sit proprium
& naturale tuæ Substantiæ, quòd sua Mag-
nitude sit infinita, & sua Vita sit magna
infinite, & sua Æternitas sit finè principio
& fine, tamen Persona Patris significatur
& demonstratur humano intellectui per
magnitudinem infinitam, secundùm quam
significationem & demonstrationem non
significatur eodem modo Persona Filii nec
Persona sancti Spiritus, imò significantur
alio modo per ipsam magnitudinem infini-
tam: igitur, cùm magnitudo infinita signi-
ficet in tua Substantia uno modo Patrem

&

30 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
& alio Filium & alio sanctum Spiritum, per hoc percipitur in tua Substantia esse tres Personas, quarum quælibet significatur in suamet proprietate.

20. Per hoc, quòd Vita, quæ est in tua Substantia infinita & æterna, *Domine*, det unam significationem & demonstrationem de Persona Filii, & aliam de Persona Patris, & aliam de Persona sancti Spiritus, percipit homo in tua Substantia esse unam proprietatem Filium, & aliam Patrem, & aliam sanctum Spiritum, licèt Vita det significationem & demonstrationem de tribus Personis, quòd omnes sint una Vita infinita & æterna in una Substantia infinita & æterna; quia, sicut una significatio non est alia, ita demonstratur unam Personam non esse aliam.

21. In Persona sancti Spiritus intelligimus, *Domine*, magnitudinem & vitam & durabilitatem infinitam & æternam; sed Persona sancti Spiritus significatur & demonstratur per Æternitatem uno modo, & alio per infinitatem Magnitudinis, &
alio

alio per infinitam & æternam Sapientiam: igitur per hoc, quòd significationes & demonstrationes non fiant intellectui hominis uno modo, imò fiant tribus modis, percipitur tuam Substantiam esse in tribus Personis, quæ sunt ipsa tua Substantia.

22. h. *O Domine DEVS, in quo est totus noster thesaurus & tota nostra spes!* Multi homines decipiuntur putando tuam sanctam Trinitatem non posse percipi in hoc mundo per rationes necessarias & per demonstrationes syllogisticas; & quia non possunt eam intelligere per rationes sensuales naturales, affirmant ipsam non posse cognosci nisi per fidem; sed, si ipsi scirent mutare suum intellectum à rebus sensualibus ad intellectuales, & ab aliis intellectuatibus ad alias, possent percipere & intelligere per rationes necessarias significatas & demonstratas suo intellectui tuam Substantiam divinam esse in Trinitate Personarum.

23. Quando homo, *Domine*, habet intellectum impeditum per res sensuales, &

vult

vult habere cognitionem de rebus intellectualibus, non potest eas percipere & cognoscere, quousque ipsum expediat & ipsum eleuet ad res intellectuales; sed, si expediat suum intellectum à rebus sensuualibus, poterit cognoscere veras rationes syllogisticas & demonstrativas, per quas suus intellectus veniat ad veram cognitionem de tua Trinitate.

24. Id, ad quod intelligendum per rationes necessarias non sufficit intellectus hominis, *Domine*, est, scire quid tua Essentia sit in se ipsa; sed hoc non est ei necessarium scire & cognoscere; & non est mirum, si homo non possit percipere, quid tua Essentia sit in se ipsa, cum ipse non possit percipere, quid essentia suæ animæ sit in se ipsa; sed, sicut homo percipit per rationes intellectuales necessarias in substantia animæ esse vitam & subjectum, in quo est vita, & concordantiam naturæ inter subjectum & vitam, & nullam istarum trium rerum esse aliam, & omnes istas tres res esse ipsam substantiam animæ;

ita

ita percipit per tuam gratiam, dummodo velit, per significationes intellectuales in tua gloriosa Substantia esse Trinitatem Personarum & Unitatem Substantiæ.

25. i. *Domine amate, Domine honorate, Domine, cui obediunt omnes populi!* Sicut non est naturale igni frigefacere, nec aquæ calefacere; ita non est naturale intellectui humano intelligere & percipere, quid sit tua Substantia in se ipsa; quia illa res, quæ ipsa est in se ipsa, non potest capi in eo, ut declaratè percipiatur; cùm ei deficient, quantum ad se ipsum, significationes sensuales & intellectuales, per quas possit hoc percipere; sed licèt intellectus hominis non possit sufficere ad percipiendum, quid sit tua Substantia in se ipsa, saltem sufficit ad percipiendum tuam Substantiam esse in Trinitate & in una Unitate; quam perceptionem habet, quia de hoc dantur ei significationes intellectuales.

26. Sicut intellectus hominis, *Domine*, sufficit ad percipiendum, quòd mundus habeat Creatorem, & ad percipiendum, quòd

C

fit

fit aliud sæculum; & ad hoc sufficit ratione significationum & rationum necessariorum, quæ hoc ei significant, ita sufficit ad percipiendum in tua Essentia Trinitatem Personarum ratione significationum, quæ ei demonstrantur rationibus necessariis.

27. Quia homines nescii ignorantes tuam sanctam Trinitatem, *Domine*, non sciunt recipere significationes demonstratas intellectualiter & sequuntur significationes sensuales, ideo non possunt percipere Trinitatem Personarum, quæ est in tua Substantia: igitur hoc non provenit ex defectu virtutis, quæ non sit in suo intellectu potentialiter; quia in ipso potentialiter est perceptio, quæ veniret in actum, si haberet instrumentum, cum quo posset hoc facere; sed, quia intellectus non recipit significationes, quæ demonstrant tuam Trinitatem, propterea sua perceptio remanet in potentia & non reducitur ad actum.

28. K. *Virtuose Domine, in quo est complementum omnis virtutis!* In tuis qualitatibus essentialibus & in tuis virtutibus, quæ

sunt

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CLXX. 35
sunt res intellectuales, percipimus tua opera; quia, secundum quod nostro intellectui significatur tua Infinitas & tua Æternitas & tua Potestas & tua Sapientia & alia tuæ Virtutes, percipit nostra anima, quænam sint tua opera; quoniam oportet ipsa esse talia, qualia ea significant tuæ virtutes & qualitates.

29. Quando tua magna Bonitas & tua magna Perfectio, *Domine DEVS*, significat nostræ intelligentiæ, quænam oporteat esse tua opera secundum respectum ipsarum, tunc nostra intelligentia percipit & intelligit intellectualiter Quatuordecim Articulos sanctæ Fidei Christianæ; quia affirmatio tuæ Bonitatis & tuæ Perfectionis in omnibus virtutibus significat animæ fidelis Christiani omnes ipsos esse secundum veritatem; quoniam, si non essent veri, demonstraretur intellectualiter Te non esse perfectum in Bonitate & Virtutibus in tua Essentia, nec in tuis operibus.

30. *Qui vult percipere, Domine, Quatuordecim Articulos Fidei per significationes*

36 **B. Raym. Lulli Lib. Contempl.**
& demonstrationes necessarias, legat hunc
Librum Contemplationis, in quo per diversa
loca inveniet & percipiet omnes ipsos esse
veraciter in veritate, dummodo sciat perci-
pere per res sensuales res intellectuales, &
alias res intellectuales per alias, & sua in-
tentio sit ad honorandum & laudandum &
amandum & serviendum suo glorioso DEO.

CAPUT CLXXI.

QUOMODO HOMO PERCIPIAT
& intelligat opera naturæ & cursum
ipsius.

1. **D**EVUS amorose! Tibi, Domine, de-
a. **D**tur gloria & laus, & Tibi fiant re-
verentiæ & honores; quia, cum Tu creave-
ris creaturas & natura sit creatura, necessa-
riò oportet, quòd natura sit terminata &
finita; quoniam omnem creaturam oportet
esse terminatam & finitam: igitur, qui vult
percipere opera naturæ, necessariò conve-
nit, quòd cognoscat terminos, intrà quos

extenditur operatio ipsius; quia ultra illos terminos non extenduntur opera naturæ.

2. Quia omnes creaturæ, *Domine*, dividuntur in creaturas sensuales, & in intellectuales, propterea natura dividitur in duas partes, scilicet in naturam sensualem, & naturam intellectualem: igitur, qui vult percipere quænam sint opera naturæ, oportet, quòd cognoscat, quænam res sit natura sensualis, & quænam natura intellectualis, & habitâ cognitione de ambabus oportet eum inquirere opera naturæ sensualis intrâ terminos naturæ sensualis, & opera naturæ intellectualis intrâ terminos naturæ intellectualis.

3. In natura sensuali & natura intellectuali, *Domine*, sunt proprietates & differentia & concordantia & alia qualitates & accidentia: igitur, qui vult percipere cursum naturalem, per quem operatur natura, oportet, quòd cognoscat accidentia, quæ sunt in rebus substantialibus; quia, nisi cognosceret, quænam res sint accidentales & quænam substantiales, nec cognosceret

differe-

differentias, quæ sunt inter accidentia & inter substantias, non posset percipere illas res, per quas percipiuntur opera naturæ.

4. b. *Domine, cui obediunt omnes populi; Domine, quem honorant omnes Angeli!* Qui vult percipere naturam pomi, & id, quod natura facit in ipsa, inquiret hoc in ipsa pomo, quia meliùs poterit invenire & percipere naturam pomi in ipsamet pomo, quàm si inquireret ipsam in pyro vel in malo cydonia; & si naturam pomi velit inquirere extra pomum, faciliùs poterit eam percipere in pyro vel malo cydonia, quàm in oliva vel palma; quia pyrus & malus cydonia sunt propinquiore in natura pomo, quàm oliva & palma.

5. Qui vult percipere, *Domine*, quid sit natura humana, faciliùs poterit hoc percipere in homine, quàm in vegetabilibus & in animalibus irrationalibus; quia tota natura hominis est in homine & non in vegetabilibus nec in animalibus irrationalibus; cùm in ipso sit rationalitas, quæ non est in illis.

6. Qui vult inquirere, *Domine*, naturam hominis extra humanam speciem, citius eam inveniet & percipiet in animalibus irrationalibus, quàm in vegetabilibus; quia plús accedunt speciei humanæ animalia irrationalia, quàm vegetabilia, & adhuc plús ei accedunt quædam animalia irrationalia, quàm alia, sicut simia vel urfus vel phoca, qui sunt similiore in figura homini, quàm equus & ærica; & idem est de vegetabilibus, quia similior est homini in figura mandragora, quàm rubus.

7. c. *O Domine, in quo est tota nostra spes & tota nostra consolatio!* Qui vult inquirere & percipere, quænam sit natura animæ rationalis, meliús poterit hoc invenire in ipsamet anima, quàm extra ipsam; &, si velit hoc inquirere extra ipsam animam, meliús poterit hoc percipere in Angelo, quàm in corpore; quia propinquior est naturæ animæ rationalis natura Angeli, quàm natura corporalis.

8. Homo, qui velit percipere, *Domine*, quænam sit natura Angelorum, poterit eam
citiús

citiús percipere in ipfismet, quàm in fe ipfo; quia homo est compositus ex duabus naturis, & Angelus non habet nifi unam naturam simplicem: &, fi vult inquirere ipfam extra Angelos, citiús poterit eam percipere in natura animæ, quàm in natura corporis; quia corpus non convenit cum natura Angeli, cum qua convenit anima; &, fi eam vult inquirere, *Domine*, in natura animæ rationalis, citiús poterit eam in ipsa percipere, quàm in tua Natura; quia anima rationalis & Angelus sunt fimiles, & conveniunt in hoc, quòd sint creaturæ conjunctæ ex forma & materia spiritualibus, & habeant principium, & sua substantia & sua virtus fit terminata & mutabilis de uno loco in alium, sed in tua Natura nulla istarum rerum est nec esse potest.

9. Qui vult percipere, quid fit tua divina Natura, *Domine*, poterit eam meliús percipere in tua divina Substantia, quàm in substantia creaturarum; quia meliús demonstratur res per suammet substantiam, quàm per aliam; &, qui vult percipere tuam

glo-

gloriosam Naturam per aliam, melius poterit eam percipere per creaturam habentem naturam intellectualem, quàm per creaturam habentem naturam sensualem; quia remotior est à tua Natura creatura habens naturam sensualem, quàm creatura habens naturam intellectualem.

10. d. *O Domine, à quo sumunt exemplum & ordinationem omnes populi!* Homo potest intelligere & percipere, quòd secundum cursum naturæ in grano frumenti sit spica frumenti potentialiter, sed non potest percipere, quòd secundum cursum naturæ sit in ipso spica hordei; quia non est naturale, quòd in grano frumenti generetur spica hordei, & propterea non potest homo intelligere, quòd in grano frumenti sit spica hordei secundum cursum naturæ, sed solum secundum operationem miraculosam.

11. *Ex mare & foemina potest homo, Domine, intelligere, quòd possit generari infans secundum cursum naturæ, quia in materia maris & foeminæ est potentia, per quam generetur infans masculus vel foemina;*

na; sed quia in materia foeminae sine materia maris non est potentialiter generatio infantis, ideo foemina non potest generare sine conjunctione maris: igitur, quod Virgo possit gignere infantem permanens Virgo, non potest intelligi & percipi secundum operationem naturae, sed solum secundum operationem miraculi.

12. Sicut homo, *Domine*, percipit multas res fieri intra cursum naturae, ita percipit aliquas fieri extra terminos cursus naturae; quia, sicut potest fieri secundum naturam, quod ex grano generetur spica, ita extra terminos naturae potest generari & nasci infans ex Muliere Virgine ante & post partum.

13. e. *Sanctificate Domine, á quo recipiunt gloriam & benedictionem Sancti paradisi!* Qui vult percipere infertiones, quas homo facit secundum cursum naturae in vegetabilibus, potest percipere, quod pyrus & persicus possint inferi in pomo; sed, si aliquis infereret pyrum vel persicum in oliva vel palma, oporteret, quod illa infertio

tio

tio intelligeretur facta extra cursum naturæ; quia non est naturale, quòd pyrus & persicus inferantur in oliva nec in palma.

14. Ex equo & asina potest homo intelligere, *Domine*, quòd secundum cursum naturæ possit concipi mulus, sed non potest intelligere, quòd secundum cursum naturæ ex eis possit concipi leo: igitur, si leo conciperetur ex equo & asina, non intelligeretur sua conceptio facta secundum operationem naturæ, imò intelligeretur facta per operationem miraculosam, quæ est extra terminos naturæ.

15. Non potest intelligi, *Domine*, quòd homo secundum cursum naturæ possit volare per aerem, nec quòd possit ambulare super aquam, quia ista sunt extra operationem naturæ: igitur, qui intelligit, quòd homo possit ambulare super mare, & possit volare per aerem, oportet, quòd intelligat hoc posse fieri per potestatem, quæ est supra vires & proprietates naturæ.

16. f. *Beate Domine super omnes honorationes,*

orationes, gratiose super omnes gratias!
 Cúm natura habeat duplicem cursum scilicet sensualem & intellectualem, qui vult percipere cursum naturæ sensualem, oportet, quòd eum inquirat intrà terminos naturæ sensualis, & qui vult percipere cursum naturæ intellectualem, oportet, quòd eum inquirat intrà terminos naturæ intellectualis.

17. Sed, quia homines, *Domine*, multoties inquirunt & putant intelligere secundum cursum sensualem operationem naturæ, quæ fit secundum cursum intellectualem, & operationem, quæ fit secundum cursum sensualem, putant intelligere secundum cursum intellectualem, propterea falluntur & descipiuntur in operibus naturæ.

18. Sicut est impossibile, *Domine*, secundum cursum naturæ, quòd homo possit invenire in igne naturam aquæ, & in aqua naturam ignis; ita est impossibile, quòd possit invenire & intelligere naturam sensualem in intellectuali, & natu-

ram intellectualem in sensuali: igitur, sicut esset stultus, qui in igne putaret frigefacere, vel in aqua frigida comburere; ita est stultus, qui operationem naturæ sensuales putat invenire in natura intellectuali, & operationem naturæ intellectualis in natura sensuali.

19. g. *Rex Regum, Domine Dominorum!* Homo percipit, quòd secundum cursum naturæ in elementis sit granum frumenti potentialiter, & in frumento sit panis potentialiter, & in pane sit sanguis potentialiter, & in sanguine sit caro potentialiter: igitur omnia ista intelliguntur posse fieri secundum cursum naturæ.

20. Unde, si homo, *Domine*, intelligeret, quòd secundum cursum naturæ potentia non esset in materia, nec esset in ea ulla res potentialiter, sed solum actualiter, non posset percipere, quòd secundum cursum naturæ ex materia possent generari formæ, quæ non sunt in ipsa actualiter, & quæ generantur ex ipsa ratione potentia, secundum quam sunt in ea.

21. Qui vellet intelligere & percipere, *Domine*, quòd secundùm cursum naturæ individua composita ex materia & forma sint in potentia, quando sunt in actu, erraret in sua perceptione; quia vellet percipere secundùm cursum naturæ id, quod non est secundùm cursum naturæ, nec intrà terminos ipsius.

22. h. *O JESU Christe Domine*, qui per viam Martyrii vicisti & superasti *dæmonem*! Adeò magna & multa sunt secreta naturæ, quòd non possint omnia percipi ab homine; quia humana perceptio non sufficit ad intelligendum & sciendum omnia opera naturæ; quoniam multò major est possibilitas, quam natura habet ad operandum secundùm suum cursum, quàm possibilitas, quam anima hominis habet ad intelligendum opera naturæ.

23. Non est ullus homo, *Domine*, qui posset percipere & scire totam proprietatem & convenientiam, quam magnes & acus habent in natura, ratione cujus acus se vertit ad rectitudinem aquilonis per
tactum

tactum magnetis; igitur, cum totam naturam, quæ est in una sola re, non possit homo percipere, per hoc demonstratur, quòd natura habeat in se ipsa multa secreta, quæ non possunt percipi in sua totalitate ab homine.

24. Unde, si intellectus hominis, *Domine*, non potest percipere omne id, quod est secundum cursum naturæ intra terminos ipsius naturæ, quomodo poterit percipere omne id, quod est extra terminos naturæ, & maximè si hoc inquiret intra terminos naturæ, intra quos non sunt inclusæ res, quæ non sunt secundum cursum naturæ?

25. i. *Singularis Domine, á quo mea anima petit gratias donorum & remissionum!*
Sicut homo ambulans non posset ambulare, si ambos pedes haberet semper in terra; ita anima hominis non posset per se ipsam percipere opera naturæ; & sicut homo volens ambulare, oportet, quòd successivè ponat unum pedem in terra & elevet alium, ita anima volens percipere opera naturæ
se-

secundum veritatem, oportet, quod suam cogitationem habeat uno tempore in rebus, quae sunt secundum cursum naturae, & alio in rebus, quae sunt supra cursum naturae.

26. Nam, sicut homo, *Domine*, qui incedit per viam, ponit unum pedem in terra, ut alium possit elevare & mutare, ita, qui vult percipere opera, quae sunt secundum naturam, oportet, quod ponat suum intellectum in operibus, quae sunt supra naturam; & qui vult percipere opera, quae sunt supra naturam, oportet, quod ponat suum intellectum in operibus, quae sunt secundum naturam, quia opera naturae percipiuntur per opera, quae sunt supra naturam, & opera, quae sunt supra naturam, percipiuntur per opera naturae; quoniam alia sunt aliis occasio, ut percipiantur.

27. Sicut homo, *Domine*, mutando suos pedes de uno loco in alium profectur suam viam, ita, quando homo mutat suum intellectum de operibus naturae ad

opera,

opera, quæ sunt supra naturam, & de operibus, quæ sunt supra naturam ad opera naturæ, pervenit ad certam cognitionem rerum, quas vult percipere & cognoscere; sed, sicut homo non posset iter facere, si semper haberet suos pedes in uno loco, ita intellectus hominis non posset habere magnam scientiam & cognitionem, si semper cogitaret & imaginaretur sola opera naturæ.

28. K. *Domine simplex siné ulla compositione & siné ullo principio!* Quia homo est compositus & naturatus secundum cursum naturæ, levius est ei percipere res, quæ fiunt secundum cursum naturalem, quam res, quæ fiunt supra cursum naturæ, & hoc evenit ex hoc, quòd homini sit manifestius id, quod est propinquius suæ naturæ, quam id, quod est remotius ab ipsa.

29. Sicut homo, *Domine*, qui inquit aliquam rem, non potest eam invenire, nisi in locis, in quibus ipsa est; ita, qui inquit naturam, non potest eam in-

50 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
venire & intelligere, nisi intrà terminos,
in quibus ipsa est: igitur, qui ignorat ali-
quid naturæ sensualis vel intellectualis, si
velit illud percipere & scire, oportet, quòd
id inquiret intrà terminos, intrà quos est
terminatum & demonstratum.

30. Sicut homini videtur, quòd mul-
tæ res eveniant casualiter, quæ eveniunt
occasionatè, & hoc videtur ei, quia igno-
rat causas illarum rerum; ita, *Domine*,
multi homines ignorant cursum naturæ in
multis rebus, quia non cognoscunt causas
naturæ, nec eas inquirent modo, quo pos-
sunt intelligi & inveniri in terminis, in-
trà quos eas terminavit suus Dominus
DEUS.

CAPUT CLXXII.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
*& intelligat quanam res sint secundùm cur-
sum naturæ, & quanam extra ipsum.*

1. **O** *DEVS* virtuose, perfecte in laudi-
a. **O** *bus & in gloria & in honorationi-
bus!*

Vol. II. Lib. III. Di. XXIX. Cap. CLXXII. § i
bus ! Sicut est homini possibile percipere
cursum naturæ in creaturis cum *quatuor*
causis , quæ sunt *Efficiens, Materia, Forma*
& *Finis* ; ita, *Domine*, est ei possibile per-
cipere , quænam sint res , quæ non sunt
secundum cursum naturæ cum *quatuor* re-
bus , quæ sunt *Potestas, Sapientia, Volun-*
tas & Perfectio.

2. Nam sicut *quatuor* causæ, *Domine*;
generaliter sunt demonstratio , per quam
homo percipit res naturales intrà terminos
ipsarum, ita generaliter prædictæ *quatuor*
res sunt homini significatio & demonstra-
tio , per quam potest certificari de rebus,
quæ sunt extra cursum naturæ.

3. Igitur , cum hoc sit ita ordinatum,
quod homo, *Domine* , possit percipere id,
quod est extra cursum naturæ cum præ-
dictis *quatuor* rebus, tuus servus & tuus
subditus confidendo in tuo adiutorio ad-
gloriam & reverentiam & honorem tui no-
minis conatur, quantum potest, assequi
hanc perceptionem per significationes, quas
recipit à tua mirabili *Potestate* & à tua ve-

52. *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ra Sapiencia & à tua benedicta Voluntate
& à tua gloriosa Perfectione.

4. b. *Suavis Domine, plene dulcedine & placito!* Quoniam tuus fervus vult se exponere ad inquirendum res, quæ sunt extra cursum naturæ, & quæ non sunt naturales, necessariò oportet, quòd ipse amoveat mentem & imaginationem & intellectum & cogitationem & memoriam & voluntatem à rebus naturalibus, & cum virtutibus & sensibus animæ tractet de rebus, quæ sunt extra terminos naturæ.

5. Nam nisi ego, *Domine*, amoverem sensus & virtutes meæ animæ à rebus sensualibus naturalibus, & eas elevarem ad res intellectuales non naturales, non posset mea anima invenire res, quæ sunt extra terminos naturæ; quia res sensuales naturales impediunt animam in inquisitione rerum non naturalium; attamen, sicut anima impeditur à rebus sensualibus uno modo, ita dirigitur ab ipsis alio modo.

6. Quia res, quæ sunt extra terminos naturæ creatæ, *Domine*, sunt multæ & di-

verfæ & funt valde graves ad percipiendum & intelligendum, & tuus fervus eft valde pauper scientiâ, propterea non proponit inquirere in hoc capite niſi octo res tantum, quæ funt *Creatio, Refurrectio, Trinitas, Vnitas, Generatio, Proceſſio, Incarnatio & Sacrificium*; & ſicut iſtæ octo res poſſunt percipi & intelligi, ita ſimiliter poſſunt percipi & intelligi omnes aliæ res, quæ funt extra terminos naturæ.

7. c. *O Domine DEVS, qui lacrymis & ploratibus & effuſione tui pretioſi Sanguinis recreaſti humanam ſpeciem!* Qui vult percipere, quomodo poſſit creari aliquid de nihilo, oportet, quòd abſtrahat ſuum intellectum à rebus, quæ funt ſecundum curſum naturæ aliæ ab aliis privando aliquas formas, ut introducantur aliæ, quia in *Creatione*, quæ fit ex nihilo, res, quæ creatur, recipit formam & materiam, quin alia forma nec alia materia privetur, cum *nihil* non ſit res habens formam nec materiam.

8. Unde quando intellectus hominis,

Domine, pervenit ad hoc, quòd uno modo intelligat rem fieri ex nihilo, & alio unam rem fieri ex alia, tunc potest percipere, quòd, sicut per quatuor causas naturales potest generari una res ex alia perdendo unam formam & recipiendo aliam, ita potest percipere & intelligere, quòd per Perfectionem Potestatis & Sapientiaë & Voluntatis possit creari creatura de nihilo recipiendo formam & materiam noviter deductas in *esse* ab illo, qui habet perfectam Potestatem & Sapientiam & Voluntatem, per quas potest ponere creaturam de non *esse* in *esse*.

9. Cùm intellectus hominis percipiat & intelligat, quòd habens perfectam Potestatem & perfectam Sapientiam & perfectam Voluntatem possit creare aliquid ex nihilo, & in hoc *Libro Contemplationis* manifestè probetur, quòd Tu, *Domine*, habeas ipsas perfectas, per hoc ipse intellectus potest percipere Te posse creare creaturam ex nihilo, quia perfecta Potestas significat Te posse hoc facere, & perfecta

Sapientia significat Te scire hoc facere, & perfecta Voluntas significat Te velle hoc facere; & hæc significatio est demonstratio facta in perfectione tuæ Substantiæ, quæ est digna, ut à creatura cognoscatur perfecta in Potestate & Sapientia & Voluntate.

10. d. *O Domine, in quo contemplando vigilant die & nocte meæ cogitationes & meï amores!* Si Tu non posses creare aliquid ex nihilo, haberes defectum Potestatis, quia tua Potestas non posset facere aliquid ex nihilo; &, si cùm posses, non scires creare aliquid ex nihilo, haberes defectum Sapientiæ; & si, cùm posses & scires, non velles creare aliquid ex nihilo, haberes defectum Voluntatis; & si isti defectus essent in Te, res, quæ sunt in hoc mundo, non essent creatæ; & si non essent creatæ, oporteret, quòd earum principia, quæ sunt materia, forma & privatio, forent æterna.

11. Si principia rerum, quæ sunt in hoc mundo, *Domine*, essent æterna, Tu non esses perfectus, nec ipsæ res essent finitæ &

ter-

terminatæ: igitur, cùm Tu sis perfectus, & omnes res, quæ sunt in hoc mundo, sint finitæ & terminatæ, significatur humano intellectui, quòd omnes ipsæ habeant Creatorem, quem percipit intellectus in creaturis percipiendo perfectionem tuæ Potestatis & Sapientiæ & Voluntatis, & fragilitatem & defectum & miseriam creaturarum.

12. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia multò facilius percipit homo veritatem rerum per tuam perfectam Potestatem & Sapientiam & Voluntatem, quàm per quatuor causas naturales; quoniam tua Potestas & Sapientia & Voluntas habent perfectionem super ipsas quatuor causas, & istæ sunt sub tua Perfectione; sed, quia gentes non tantum tractaverunt de inquisitione rerum, quæ sunt supra naturam, quantum tractaverunt de inquisitione operum naturæ per quatuor causas, propterea fuit clausa porta suæ perceptioni in rebus, quæ sunt supra naturam; quoniam non inquirebant, nec aperiebant illam portam cum

perfectione, quæ est in tua Potestate & Sapientia & Voluntate, per quam possunt percipi omnes res.

13. e. *O Domine DEVS, qui inamora-*
vasti tuum servum amore, quo amas tuum
amatorem! Quando mea anima inquit, an possit percipere, quòd per naturam possit homo resuscitari, demonstratur ei, quòd natura non possit resuscitare hominem mortuum, licet possit occidere hominem vivum; & quando mea anima non potest percipere *Resurrectionem* secundum naturam, inquit, an possit eam percipere extra cursum naturæ, & hanc inquisitionem facit in Perfectione, quæ est in tua Potestate & Sapientia & Voluntate.

14. Quando mea anima, *Domine*, inquit resurrectionem in perfectione tuæ Potestatis & Sapientiæ & Voluntatis, significatur ei, quòd si Tu non posses resuscitare homines mortuos, non haberes perfectam Potestatem; & , si non scires eos resuscitare, non haberes perfectam Sapientiam nec esses justus, quia non ordinasses, quòd

ipsi remunerarentur secundum opera, quæ faciunt: & si non velles ipsos resuscitare, non haberes perfectam Voluntatem, quia perfectè non amares homines nec Te ipsum, cum non ordinasses paradysum, in quo Sancti homines infinitè cognoscerent tuam excellentem Bonitatem.

15. Cùm probatum sit, *Domine*, tuam Potestatem & Sapientiam & Voluntatem habere perfectionem & non habere ullum defectum, percipitur & intelligitur futuram esse diem resurrectionis; quia, si futura non esset, Tu non esses perfectus in tuis operibus; & istud testimonium, quod nobis dat de futura resurrectione tua Perfectio, est verius & dignius credi, quàm testimonium, quod nobis dat natura de quolibet opere suo; quia natura non ita perfectè demonstrat veritatem suorum operum, sicut tua Perfectio demonstrat veritatem tuorum.

16. f. *O Domine, in quo sumunt perfectionem omnia mea desideria & omnes mei amores!* Quando mea anima contemplando

tractat

tractat de tua *Trinitate & Unitate*, intelligit ipsas non posse percipi secundum cursum naturæ; quia, quidquid secundum naturam est unitum ex duabus vel pluribus rebus, oportet, quòd sit compositè unum, & quòd tempus intret in suam unionem; sed hoc non potest intelligi de tua *Trinitate & Unitate*; quia ita est tua Substantia una in tribus Personis, quòd non sit in ipsa ulla compositio nec tempus; & propterea oportet, quòd homo intelligat extra cursum naturæ creatæ tuam Substantiam esse unam in tribus Personis, & ipsas tres esse unam Substantiam.

17. Sicut per quatuor causas percipimus & intelligimus intrà cursum naturalem compositiones & conjunctiones, ex quibus proveniunt unitates & singularitates individuorum; ita, *Domine*, & adhuc multò meliùs per perfectionem tuæ Potestatis & Sapientiae & Voluntatis percipimus & intelligimus Unitatem & Trinitatem, quæ est in tua divina Essentia; &, sicut quatuor causæ demonstrant intrà terminos naturæ conjunctiones

junctiones & unitates, quæ fiunt in corporibus elementatis, ita tua Perfectio & tua Potestas & tua Sapientia & tua Voluntas demonstrant extra terminos naturæ tuam sanctam Unitatem & tuam veram Trinitatem.

18. Modus, quo anima hominis percipit, *Domine*, in tua divina Substantia Trinitatem Personarum & Unitatem Substantiæ, est secundum significationes, quas dant tua Potestas & Sapientia & Voluntas; quia tua perfecta Potestas dat in tua Substantia unam significationem, quam non dat eodem modo tua Sapientia nec tua Voluntas; & tua perfecta Sapientia dat in tua Substantia aliam significationem, quam non dat eodem modo tua Potestas nec tua Voluntas; & tua perfecta Voluntas dat in ipsa aliam significationem, quam non dat eodem modo tua Potestas nec tua Sapientia: igitur, quia quælibet habet suam propriam significationem, dant tres significationes significantes tres Personas, quæ significant unam perfectionem in Substantia,

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXII. 61
quæ significat unam perfectionem in Per-
sonis.

19. g. *Singularis Domine, qui es Princi-
pium meorum principiorum & Perfectio mea-
rum perfectionum!* Quando mea anima con-
templatur in *Generatione & Processione*, quæ
sunt in tua divina Natura, oportet, quòd
eas intelligat extra terminos naturæ crea-
tæ, & secundum Naturam tuæ divinæ Es-
sentia increatæ; quia generatio & proces-
sio in natura creata non possunt esse sine
tempore & initio & prioritate & postero-
ritate & compositione; sed *Generatio &
Processio*, quæ sunt in tua Natura, sunt
extra tempus & sine initio & sine ulla pos-
terioritate & compositione.

20. Id, per quod significatur, *Domine*,
in tua divina Natura esse generationem &
processionem, est perfectio tuæ Potestatis
& Sapientia & Voluntatis, quæ non signi-
ficarentur perfectæ, nisi in tua divina Na-
tura essent generatio & processio, quæ in-
tellectualiter intelliguntur in nostra ani-
ma.

21. In perfectione tuæ Potestatis & Sapientiæ & Voluntatis significatur & demonstratur, *Domine*, quòd in tua divina Natura sint Generatio & Processio; quia oportet tuam perfectam Potestatem esse infinitam in Magnitudine, & ex ipsa generari infinitam Sapientiam, & procedere infinite æternum Amorem; quoniam, nisi ita esset, ipsa non esset perfecta Potestas; & oportet tuam perfectam Sapientiam recipere generationem, ut sit infinita, & ex ea procedere æternum Amorem; quoniam, nisi ita esset, ipsa non esset perfecta Sapientia; & oportet à tua perfecta Volunte exire Amorem infinite potenter, sapienter, æternaliter sinè ulla cessatione & defectu; quia nisi ita esset, significaretur ipsam non esse perfectam Voluntatem.

22. h. *DEVS amorose, qui curas & sanas omnes tuos amatores!* Quando mea anima, *Domine*, contemplatur in gloriosa *Incarnatione*, quam assumpsisti in nostra Domina Virgine gloriosa, non potest eam percipere & intelligere secundum cursum

naturæ, quia ipsa non fuit facta per operationem naturæ, imò fuit facta supra ipsam; & propterea, qui vult percipere & intelligere tuam Incarnationem, oportet, quòd eam percipiat & intelligat supra naturam per perfectionem tuæ Potestatis & Sapientiæ & Voluntatis.

23. Per hoc, quòd homo, *Domine*, sit corruptus per primum peccatum in nostro Patre Adamo, & mundus sit corruptus & inordinatus per corruptionem hominis, percipitur & intelligitur in perfectione tuæ Potestatis & Sapientiæ & Voluntatis, quòd Tu fueris incarnatus in nostra Domina sancta MARIA; quia, si mundus, qui est tuum opus, esset corruptus, & Tu non eum recreasses, tuum opus esset frustra, & si ita esset, foret in Te defectus Potestatis & Sapientiæ & Voluntatis: igitur, cùm Tu sis perfectus in Potestate & Sapientia & Voluntate, significatur & demonstratur, quòd per tuam perfectam Potestatem potueris, & per tuam perfectam Sapientiam sciveris, & per tuam perfectam

Vo-

Voluntatem volueris incarnare Te, ut recreares mundum, qui non posset recreari finè tua Incarnatione.

24. Sicut mundus fuit creatus & ordinatus ab initio, *Domine*, per perfectam Potestatem & perfectam Sapientiam & perfectam Voluntatem; ita, quando ipse fuit corruptus & inordinatus, necessariò oportuit, quòd recrearetur & ordinaretur per unionem tuæ Deitatis, in qua est omnis perfectio cum humana natura, ut mundus, qui fuit corruptus in homine, recrearetur in homine per conjunctionem ipsius cum tua Deitate; quia aliter non potuisset recreari nec ordinari in adeò nobili dispositione & ordinatione, sicut per unionem Creatoris & creaturæ.

25. i. *Visitator Domine & Consolator orphanorum & pauperum, qui in Te confidunt!*
Quando mea anima vult percipere, quomodo *hostia & vinum* deveniant in veram Carnem & verum Sanguinem super Altare per virtutem verborum, non potest hoc percipere secundum cursum naturæ; quia

istud

istud *Sacrificium* & ista mutatio non fit per naturam; & propterea oportet, quòd percipiatur extra cursum naturæ per alium modum, scilicet per tuam perfectam Potestatem & per tuam perfectam Sapientiam & per tuam perfectam Voluntatem.

26. Sicut potest intelligi secundum cursum naturæ, quòd panis & vinum, quæ homo sumit, deveniant in carnem & sanguinem in corpore hominis ratione potentia vegetativæ, quæ habet naturam & proprietatem alterandi panem & vinum in carnem & sanguinem, ita, *Domine*, potest homo percipere & intelligere, quòd hostia & vinum, quando sacrantur, possint devenire in tuum Corpus & Sanguinem ratione tuæ perfectæ Potestatis & Sapientiæ & Voluntatis; quia, sicut tua perfecta Potestas cum tua perfecta Sapiencia & tua perfecta Voluntate potuit creare mundum ex nihilo & potest resuscitare mortuos, ita potest convertere hostiam & vinum in veram Carnem & verum Sanguinem; sed sicut intellectui humano occultatur sensualiter, quo-

E

modo

modo hostia & vinum convertantur in carnem & sanguinem secundum cursum naturæ, ita ei demonstratur & revelatur intellectualiter, quomodo possint converti in veram Carnem & verum Sanguinem per tuam perfectam Potestatem & Sapientiam & Voluntatem.

27. Sicut lingua hominis potest loqui & dicere, quod hostia & vinum transmutentur in Carnem & Sanguinem, ita, *Domine*, & adhuc multo melius, tua perfecta Potestas & tua perfecta Sapientia & tua perfecta Voluntas possunt hoc facere, dummodo fieri debeat secundum tuam Bonitatem & tuam Sapientiam; quia, si homo posset plura dicere, quam Tu facere, significaretur, quod non haberes perfectam Potestatem; quoniam potentior esset homo in loquendo, quam Tu in operando: unde, sicut mea anima intelligit, quod homo possit dicere Hostiam & Vinum esse Carnem & Sanguinem in Sacrificio, ita ipsa percipit & intelligit in tua Virtute Hostiam & Vinum posse esse, quid-

quid

Vol. II. Lib. III. Di. XXIX. Cap. CLXXII. 67
quid velint tua perfecta Potestas & tua
perfecta Sapientia & tua perfecta Volun-
tas.

28. K. *O Domine DEVS, in quo reci-
piunt virtutem & fortitudinem omnes crea-
tura!* Sicut in terminis naturæ inquirat ho-
mo opera naturæ, ita oportet eum inqui-
rere opera, quæ Tu facis extra naturam in
tua perfecta Potestate & Sapientia & Vo-
luntate, quia sicut quatuor causæ suffi-
ciunt ad opera naturæ, ita, & adhuc mul-
tò meliùs, tua Perfectio & tua Potestas &
Sapientia & Voluntas sufficiunt ad quæ-
cunque opera, quæ sint extra cursum na-
turæ.

29. Unde, sicut natura, *Domine*, uti-
tur suo cursu in suis operibus generando &
corrumpendo per quatuor causas, ita Tu
uteris tuâ Bonitate in tuis operibus per per-
fectionem tuæ Potestatis & Sapientiæ &
Voluntatis: igitur, sicut homo in operibus
naturæ inquirat causas ipsius naturæ, ita in
tuis operibus debet inquirere causas, scili-
cet, an fiant secundum perfectam Potesta-

tem & perfectam Sapienciam & perfectam
Voluntatem; quia sine perfectione ipsarum
Tu non potes facere quidquam, cum om-
nia facias perfecte & sine ullo defectu.

30. Unde sicut natura, *Domine*, ex
materia & forma facit individuum in hu-
mana specie vel in alia, ita, si Tu velles, pos-
ses facere extra naturam individuum, quod
esset homo & avis & brutum & piscis &
aliquod vegetabile; & sicut hoc esset in tua
Potestate, ita oporteret, quod esset in tua
perfecta Sapiencia & in tua perfecta Vo-
luntate, quia extra ipsas nihil potest facere
tua Potestas divina.

CAPUT CLXXIII.

QUOMODO HOMO PERCIPIAT

*& intelligat Causas, per quas certifica-
tur, & per quas est in Dubitatione.*

I. **O** *DEVS* invocate, adorate, refugi-
a. **O** *um & spes tuorum benevolorum!*
Quia mens hominis incedit per res sensua-

les

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXIII. 69
les & per res intellectuales, propterea evenit, quod res sensuales & res intellectuales sint homini occasio, ut sit in dubitatione vel in certificatione sensuali vel intellectuali.

2. Illæ res sensuales, *Domine*, quæ non sunt perfectum subjectum, ut homo per eas possit percipere veritatem rei, quam inquit, sunt homini occasio dubitationis; & illæ res sensuales, quæ sunt perfectum subjectum, ut homo per eas possit percipere veritatem rei, quam inquit, sunt ei occasio certificationis ratione perfectionis, quam habent in se ipsis.

3. *Gloriose Domine* ! Sicut quædam sensualitates ratione defectus, qui est in eis, causant in homine dubitationes; ita quædam intellectualitates ratione defectus, qui est in eis, causant in ipso dubitationes; & hoc idem evenit de certificatione; quia, sicut quædam sensualitates ratione perfectionis, quæ est in eis, certificant hominem, ita quædam intellectualitates habent tantam perfectionem in se ipsis, quòd dent homi-
ni

ni demonstrationem, & directionem, ut per eas certificetur.

4. b. O Pater cælestis, qui es bonus super omnes bonitates & honoratus super omnes honorationes ! Multoties evenit, Domine, quòd sensualitates & intellectualitates, per quas homo vult certificari de aliqua re, sint ordinatæ & directæ ad demonstrandum veritatem; sed, quia ipse est inordinatus & indirectus in se ipso per aliquas res, propterea in directione sensualitatum & intellectualitatum, quæ sunt extra se, non potest percipere veritatem, quam vult percipere.

5. Tota dubitatio, quæ est in homine, Domine, est in eo, quia non scit percipere & cognoscere concordantias & discordantias, quæ sunt inter alias & alias sensualitates, & inter sensualitates & intellectualitates, & inter alias & alias intellectualitates.

6. Nam si homo, Domine, sciret percipere & cognoscere discordantiam vel concordantiam, quæ est inter alias sensua-

litates

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXIII. 71
litates & alias, vel inter sensualitates & intellectualitates, vel inter alias intellectualitates & alias, sciret & intelligeret & perciperet rem, quam inquirit, & de ipsa certificaretur, si eam inquireret modo, quo potest certificari.

7. c. *Domine amande, Domine desiderande, Domine metuende!* Illi homines cadunt in dubitationes, qui inquirunt res sensuales in terminis rerum intellectualium, & res intellectuales in terminis sensualium; quia putant certificari in illis terminis, in quibus fiunt dubii per hoc, quòd inordinate inquirant, quoniam res sensuales volunt intelligere extra terminos, in quibus intelliguntur, & res intellectuales putant percipere in terminis, in quibus non possunt percipi.

8. Qui sapienter inquirit, *Domine*, illas res, de quibus vult certificari, inquirat eas in subjectis, in quibus stat veritas & natura & proprietates ipsarum; & quia sapienter inquireret res, ubi possunt inveniri, certificabitur de rebus, de quibus dubitat; sed,
qui

qui stultè inquirat rem, ubi non potest eam invenire, quò plus inquireret, eò plus cadet in dubitationes.

9. Quando sensualitates & intellectualitates, *Domine*, contrariantur adinvicem in significationibus, quas dant in hoc, quòd quasdam significationes dent sensualitates, & alias dent intellectualitates, impediunt hominem, ne certificetur per ipsas, & propterea uno tempore est homo dubius in rebus veris, & alio tempore affirmat & putat esse certificatus in rebus, quæ sunt contrariæ veritati.

10. d. *Desiderate Domine, amate, volite ab omnibus populis!* Quia anima est in tribus rebus scilicet in Memoria, Intellectu & Voluntate, & ipsa est subjectum, in quo fiunt dubitationes & certificationes, propterea generantur in memoria, intellectu & voluntate causæ, per quas anima est dubia vel certificata de rebus.

11. Quando memoria hominis, *Domine*, non perfectè memorat res præteritas, & intellectus non perfectè intelligit & percipit

cipit aliquas res, & voluntas non amat inquirere, quomodo res possint memorari & intelligi, tunc generatur in anima dubitatio, & mortificatur in ipsa certificatio.

12. Quando memoria hominis, *Domine*, perfectè memorat aliquam rem secundum veritatem, & intellectus illam rem intelligit illo modo & in illo statu, in quo ipsa est, & voluntas est ordinata & temperata in amando illam rem memoratam & intellectam, tunc generatur in homine certificatio, & expellitur ab eo dubitatio.

13. e. *O Domine, in quo est tota nostra consolatio & tota nostra spes!* Sicut dubitationes & certificationes generantur in tribus Virtutibus animæ, ita generantur in aliquibus potentiis ipsius; quia, quando homo imaginatur aliquas res, si imaginativa sit plus obediens & subdita sensitivæ, quàm rationali, sua anima est plus parata ad dubitationem, quàm ad certificationem; & si imaginativa sit plus inclinata ad potentiam rationalem, & plus ei obediat, quàm sensitivæ, anima est plus parata ad

cer-

certificationem, quàm ad dubitationem.

14. Natura potentia sensitivæ est, *Domine*, deviare, & excæcare memoriæ & intellectui oculos intellectuales, qui sunt visus animæ; & hoc est, quia ista potentia plús amat visionem sensualem, quàm intellectualem; sed natura potentia rationalis est illuminare & dirigere memoriæ & intellectui oculos spirituales, per quos anima videt res intellectuales; & hoc est, quia ista potentia plús amat visionem intellectualem, quàm sensualem: igitur, cùm res dubiæ sint propinquiores excoecationi & ignorantia, quàm illuminationi & certificationi, & res certificatae & demonstratae sint propinquiores visui & scientiæ, quàm excoecationi & ignorantia, per hoc percipitur, quòd dubitatio veniat à potentia sensitiva, & certificatio à potentia rationali.

15. Quia dubitatio, *Domine*, est in homine ratione peccati, & homo cecidit in peccatum in primo parente per potentiam sensitivam, propterea facilius est in ipso dubitatio ex parte potentia sensitivæ,

quàm ex parte potentiaè rationalis; quoniam, si peccatum non esset, homo non esset dubius in ullis rebus, imò esset certificatus in omnibus, & ideo potentia sensitiva est fons & fundamentum dubitationum, & potentia rationalis est radix & subjectum certificationum, quas homo habet verè cognoscendo res secundùm statum ipsarum.

16. f. *O Domine, Advocate & Judex tuorum benevolentium!* In homine sunt dubitationes & certificationes ratione duarum intentionum; quia, quando homines falsi deceptores volunt aliquem decipere, mutant demonstrationes & significationes intentionum; & si volunt facere aliquam rem, primam intentionem simulant esse secundam & secundam esse primam; & propterea est homo in dubitatione, quia non videt concordare significationes cum intentionibus, nec opera cum significationibus.

17. Sed quando homo, *Domine*, ordinate in suis intentionibus dat proprias significationes, & demonstrat per opera & per significationes, quâ intentione faciat res,

quas

quas facit, tunc alii certificantur per intentiones, quæ ordinatè demonstrantur per significationes & per opera; quia, quando prima intentio demonstratur esse prima, & secunda esse secunda, tunc opera & significationes & intentiones concordant in demonstrationibus.

18. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia per mutationem & simulationem, quam faciunt homines falsi in significationibus intentionum, decipiunt homines fideles, & eos ponunt in dubitationibus, ut ipsis existentibus dubiis citiùs eos decipiant, quàm possint certificari de fraudibus, quas eis faciunt.

19. g. *O Domine DEVS*, qui vivificas & mortificas omnes, quos Tibi placet! Dubitationes & certificationes sunt in homine ratione rerum possibilium; quia, quando res possibiles non plùs significant res, quæ sunt, quàm res, quæ non sunt, nec dant majorem significationem de rebus, quæ non sunt, quàm de rebus, quæ sunt, tunc cadit homo in dubitationem per hoc, quòd

possibilitates dent æqualem significationem de rebus existentibus & de non existentibus.

20. Quando in homine est affirmatio & certificatio, *Domine*, ratione rerum possibilium & impossibilium, tunc ipsa generatur in æqualitate demonstrationis, quæ significatur per res posibles & per impossibles; quia res posibles demonstrant suam possibilitatem, & res impossibles demonstrant suam impossibilitatem, & res posibles demonstrando suam possibilitatem demonstrant impossibilitatem rerum impossibilium, & res impossibles demonstrando suam impossibilitatem demonstrant possibilitatem rerum possibilium.

21. Quando homo, *Domine*, certificatur ratione significationum demonstrantium res impossibles, quæ non significantur per res posibles, tunc percipit in rebus possibilibus illas proprietates & illam naturam, quæ sunt eis posibles, & sunt proprietates & natura impossibles aliis, sicut est homini volare; quia impossibilitas

volandi non percipitur in homine per possibilitatem, quam homo habet ad motum.

22. h. *Mirabilis Domine, qui demonstras & revelas tua secreta tuis amatoribus!* Per magnum amorem vel per magnum timorem sunt in homine dubitationes vel certificationes & affirmationes; quia, quando homo habet magnum amorem erga aliquam rem, citius affirmat vel dubitat de illa re, quam de alia, erga quam non habet adeò magnum amorem; & idem evenit de timore, quia de magno amore descendit magnus timor.

23. Quando homo, *Domine*, valde amat vel valde timet, non inquit causas, per quas significantur & demonstrantur res, quas amat vel timet; & propterea affirmat vel dubitat sinè deliberatione intellectus & rationis; & quando ipse per magnum amorem vel timorem affirmat aliquam rem, & potentia rationalis non ei significat oppositum illius rei, tunc putat esse certificatus; sed quando potentia rationalis ei

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXIII. 79
significat oppositum, tunc dubitat; quia ex parte amoris vel timoris vellet affirmare, & ex parte rationalitatis non audet, eò quòd ipsa monstrat oppositum illius rei, quam amor vel timor vult affirmare.

24. Unde, qui ab hac deceptione vult sibi cavere, *Domine*, non velit affirmare ullam rem, quam nimis amat vel timet, & det rationi deliberationem, ut ordinatè & liberè possit facere inquisitionem illius rei; quia, sicut oculi corporales perturbantur à nimio splendore solis, ita intellectus hominis, qui est oculus animæ, perturbatur in cognitione veritatis à nimio fervore amoris vel à nimio timore.

25. i. *O Domine DEVS, in quo confidunt & sperant justi & peccatores!* Sicut Philosophus certificatur in operibus naturæ cognoscendo quatuor causas, per quas incedit cursus naturæ; ita Theologus certificatur in tuis operibus cognoscendo rationes, quibus Tu operaris in creaturis; sed, sicut homo, qui non est Philosophus, dubitat in operibus naturæ per hoc, quòd ignoret

80 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
noret causas naturales, ita multi nescii dubitant in tuis operibus per hoc, quòd ignorent rationes, quibus Tu operaris in creaturis.

26. Qui vult certificari, *Domine*, in tuis operibus, & vult effugere à dubitatione in eis, sumat signum à tua Bonitate, & inquirat, quænam res debeant fieri secundum ipsam; quia omnes res possunt fieri à tua Bonitate, dummodo sint ei decentes, & dummodo per eas ipsa nobis manifestetur & demonstretur.

27. Quia homo, *Domine*, putat, quòd Tu debeas omnia facere ad suam utilitatem & secundum suam voluntatem, & non putat, quòd debeas quidquam facere nisi intuitu illarum rerum, quibus indiget ad possidendum id, quod amat, & ad perveniendum ad id, quod desiderat; propterea est dubius in tuis operibus, in quibus posset certificari, si aspiceret & attenderet, quòd omnia facias ad demonstrandum hominibus tuam magnam Bonitatem & tuam perfectam Perfectionem.

28. K. *Desiderate Domine, amate ab omnibus populis!* Quando infideles audiunt, quòd nos credamus in sanctam Trinitatem, statim affirmant ipsam non esse; quia, si ipsa esset, essent tres Dii; sed si ipsi inquirerent, an possent percipere esse unam divinam Substantiam in tribus Personis, perciperent æquè proprium esse tuæ Essentiæ esse in Trinitate Personarum sicut in Unitate Substantiæ.

29. Quando infideles, *Domine*, audiunt nos dicere, quòd Tu sis incarnatus, & fueris mortuus, statim affirmant contrarium; quia affirmant tuam Deitatem non posse mori nec alterari; sed, si ipsi darent spatium intellectui, ut videret & intelligeret, quomodo Christiani credant Te esse incarnatum & mortuum, quin Deitas fuerit alterata & mortua, tunc perciperent id, quod Christiani percipiunt per demonstrationes verarum rationum; quia, cum natura intellectus ipsorum sit una cum natura intellectus Christianorum, modo, quo percipiunt Christiani veritatem, illi

possent eam percipere, si vellent.

30. Quia dubitatio, *Domine*, est propinquior Fidei, quàm Rationi, & certificatio est propinquior Rationi, quàm Fidei, propterea multi in principio dubitant, quando Fides est sinè Ratione; quia propter brevitatem temporis humanus intellectus, antequam pervenerit ad Rationem, multoties dubitat in rebus Fidei: unde, quando infidelis audit, quòd Tu sis in Trinitate, & sis incarnatus & mortuus, statim discredit; sed, si ipse in principio crederet possibilitatem, & vellet videre & inquirere, an hoc possit esse vel non, tunc perciperet id, quod non potest percipere per hoc, quòd in principio totaliter discredat; quia nullam rem potest homo inquirere, an sit vera vel falsa, nisi in principio consentiat, quòd possit esse vera vel falsa: igitur, si infideles sequerentur istum modum, perciperent, quòd Tu sis verus DEVS & verus Homo, & sis in tribus Personis & in Vnitate unius Substantiæ divinæ.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT

& cognoscat res secretas.

1. **O** *DEVS* potens in omnibus fortitudinibus, honorate in omnibus honorationibus! Quia homo, *Domine*, est compositus ex sensualitatibus & intellectualitatibus, sunt ei secretæ & occultæ res sensuales & intellectuales, secundum quod sui sensus corporales & spirituales sunt terminati; quia, quidquid est extra terminos suorum sensuum, est ei secretum & occultum.

2. Quidquid est homini occultum & ab eo ignoratum, *Domine*, comprehenditur intra sex res, quæ sunt tua divina *Essentia*, tua *Opera*, *Angeli*, *Dæmones*, *Natura*, & *Animalia*: igitur quoniam in his sex rebus includuntur omnes res, quæ sunt secretæ & occultæ homini, qui vult cognoscere & percipere res sibi occultas & ignoratas, inquirat eas in istis sex rebus.

3. *Qui*

3. Qui vult inquirere, *Domine*, res sibi secretas & occultas graves ad percipiendum & intelligendum, oportet, quod prius habeat cognitionem de rebus revelatis & demonstratis; quia per cognitionem istarum poterit extendere suum intellectum ad cognitionem illarum.

4. b. *O Domine DEVS, qui es vera Veritas, quæ est Fons justitiæ!* Ratio & causa, quare tua divina *Essentia* non potest sciri & intelligi in sua totalitate ab intellectu humano, est infinitas, quæ est in ea, & finitas, quæ est in ipso intellectu; quia res infinita & totaliter perfecta non potest capi in re finita & defectuosa.

5. Qui in tua divina *Essentia, Domine*, vult inquirere res secretas suo intellectui, eas inquirat in tua Deitate cum sensibus intellectualibus; quia, sicut speculum materiale demonstrat figuras & formas sensuales, ita cum sensibus spiritualibus, qui sunt speculum rerum intellectualium, percipit homo in tua Deitate res, quas Tu per gratiam vis demonstrare humano intellectui,
dummodo

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXIV. 85
dummodo homo sit dispositus & directus ad
cognoscendum id, quod Tu permittis sen-
sibus spiritualibus cognoscere & scire in
Te.

6. Sicut duorum speculorum materia-
lium, quorum unum sit positum ante aliud,
quodlibet demonstrat alteri suam formam
& suam qualitatem & omnes figuras, quas
in se continet; ita, *Domine*, quando anima
hominis, quæ est speculum intellectuale,
in quo revelantur tua secreta, intellectua-
liter contemplando videt tuas Virtutes &
magnam Bonitatem tuæ Deitatis, quin res
sensuales eam impediunt in sua contem-
platione, videndo tuas Virtutes & tuam Bo-
nitatem videt in ipsis se ipsam, & videndo
se ipsam & Te recipit cognitionem de re-
bus, quæ erant ei secreta, antequam vide-
ret se ipsam in tuis Perfectionibus.

7. c. *O Domine, qui es Amor super omnes
amores & Laus super omnes laudes!* Sicut
speculum non potest demonstrare ullam fi-
guram, nisi sit ei anteposita; ita anima ho-
minis non potest percipere ullum tuorum
se-

secretorum, nisi ei des gratiam, ut possit habere cognitionem de tua Bonitate & de tua Perfectione; & sicut in uno speculo sensuali videtur id, quod est in alio ipsi anteposito, ita anima hominis videndo tuam Perfectionem videt defectus, qui sunt in homine, & videndo ipsos videt tuam Perfectionem, & videndo ipsam percipit secreta, quæ non percipiebat antequam videret prædictos defectus.

8. Quando homo, *Domine*, tenet parvum speculum coram magno, & aspicit magnum speculum, videt in ipso duas figuras generatas ex una; quia magnum speculum demonstrat unam figuram hominis extra terminos figuræ parvi speculi, & demonstrat aliam figuram hominis intrâ formam, quam recipit à parvo speculo, & ita facies hominis, quæ est una, demonstratur in magno speculo in duabus partibus; & sicut sensualiter magnum speculum in se ipso demonstrat parvo figuram hominis, quæ est occulta ipsi parvo, quia est retro ipsum, ita intellectualiter demonstratur a-

nimæ

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXIV. 87
nimæ hominis secretum tuæ Essentiæ, quando ipsa percipit & cognoscit suammet naturam; quia videndo se esse unam Substantiam, quæ est in tribus rebus, & ipsas tres res esse ipsammet substantiam unam, percipit in tua divina Essentia tuam Trinitatem & tuam Unitatem & Generationem & Processionem Personarum, quam perceptionem non habebat, antequam videret se ipsam.

9. Unde, quia discredentes & infideles, *Domine*, putant sensualiter percipere secreta tuæ Deitatis, & non inquirunt ea in speculo intellectuali, in quo demonstrantur & revelantur, propterea sunt excæcati & ignorant ipsa, & nunquam certificabuntur, quousque inquirant ea oculis spiritualibus intellectualibus, quibus homo potest intellectualiter videre in tua Deitate res, quæ sunt secretæ nostræ sensualitati.

10. d. *Domine dulcis, qui dulciter & placidè amas & indulges!* Qui vult percipere & scire tua opera, quæ sunt secreta & occulta

culta suo intellectui, sequatur intellectualiter modum, quem sequitur sensualiter in duobus speculis ponendo parvum ante magnum; quia, sicut magnum speculum demonstrat duas res, scilicet parvum speculum, quod est ante ipsum, & faciem hominis, qui est retro parvum speculum, & ideo demonstrat in se tres figuras, scilicet figuram speculi parvi & duas figuras hominis; ita, qui aspicit tuam Bonitatem & creaturas, percipit & videt tres res, quarum una est tua Bonitas, alia tua Opera, & alia res, quæ non sunt tua opera, intra quas tres res continentur omnia, quæ sunt in esse.

II. Respiciendo & cognoscendo tuam Perfectionem, *Domine*, percipit homo, quænam *Opera* oporteat fieri à Te ad demonstrandum nobis tuam Perfectionem, & respiciendo quænam res sint perfectæ & quænam defectuosæ & vitiosæ, percipit quænam ipsarum sint tua opera; quia, sicut in forma magni speculi generantur tres figuræ, antepositis ei duabus rebus, scilicet

parvo

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXIV. 89
parvo speculo & facie hominis, ita in anima hominis aspiciente & contemplante certitatè tuam Bonitatem percipiuntur tres res intellectualiter, quarum una est tua Bonitas, alia tua opera, & alia quidquid non es Tu nec tua opera.

12. Igitur, qui vult inquirere, *Domine*, an Lex Christianorum sit tuum Opus & res Tibi placens, habeat cognitionem de tua Bonitate & de tua Perfectione; quia percipiendo ipsas percipiet bonitatem & perfectionem sanctæ Fidei Romanæ, & percipiendo istas percipiet malitiam & defectum, qui est in rebus ipsi Fidei contrariis.

13. *e. Victor Domine, Superator potens contra omnes, qui habent voluntatem tuis viribus contrariam!* Qui vult percipere & cognoscere secreta, quæ sunt in natura *Angelica*, aspiciat & videat naturam suæmet animæ; quia, sicut duo specula sibi invicem demonstrant figuras, quas recipiunt, quia conveniunt in natura; ita, quia anima rationalis est in natura similis Angelo, demonstrando

90 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
monstrando suammet naturam demonstrat
naturam Angeli.

14. In hoc, quod homo, *Domine*, con-
templatur inquirendo naturam animæ ra-
tionalis, percipit animam rationalem esse
substantiam spirituales compositam ex ma-
teria & forma spiritualibus; & in hoc, quod
percipit de anima, percipit & intelligit An-
gelum etiam esse substantiam spirituales
compositam ex materia & forma spiritua-
libus, quæ compositio est simplex respectu
compositionis, quæ fit ex materia & forma
corporalibus.

15. Sicut animæ rationali, *Domine*,
data est natura faciendi bonum & evitandi
malum, ita Angelo est data natura faciendi
bonum & evitandi malum; & sicut ani-
ma est parata ad faciendum malum acci-
dentaliter per conjunctionem, quam habet
cum corpore, ita per contrarium Angelus
est paratus ad faciendum bonum per hoc,
quòd non sit conjunctus cum corpore.

16. f. *Rex Regum, qui habes honorem su-
per omnes honores & honorificentiam super*

omnes honorificentias! Qui vult cognoscere *Dæmonem*, cognoscat suammet animam; quia quoad substantiam sunt similes, excepto quòd dæmon non sit conjunctus cum corpore, nec faciat malum, quod facit, per inclinationem naturæ corporalis corruptæ per peccatum, sicut facit anima hominis, quæ se inclinat ad faciendum malum ratione corporis sibi conjuncti.

17. Sicut speculum obliquum demonstrat figuram obliquam speculo recto, ita *Domine*, quando anima hominis est directa & non impedita à sensualitate corporis, videndo se ipsam videt in se malitiam & inordinationem, quæ est in dæmone, qui ei demonstrat res injuriosas & contrarias virtutibus in similitudinem justarum & virtuosarum.

18. In hoc, quòd anima hominis, *Domine*, videat dæmonem esse contrarium tuis mandatis & tuis operibus, percipit secreta ipsius, quia cognoscendo tua mandata esse bona & tua opera esse perfecta, percipit, quòd omnia opera ipsis opposita sint
falsa

falsa & inordinata & translata in alias formas dissimiles rectis formis verorum operum.

19. g. *O Domine DEVS, quies Fons vivus, á quo recipiunt purificationem & munditiam peccatores, qui in tua Misericordia confidunt! Quia operatio Naturæ est adeò magna, & tot sunt individua, in quibus natura utitur suo cursu & suâ proprietate, propterea non potest homo percipere omnia secreta naturæ, nec possunt omnia capi in memoria, intellectu & voluntate ipsius.*

20. *Qui vult percipere secreta naturæ, Domine, inquiret ea in rebus sensualibus & in intellectualibus, quia totus cursus naturæ vadit per res sensuales vel per intellectuales vel inter utrasque: igitur, cum homo sit compositus ex sensualitatibus & intellectualitatibus, melius & perfectius possunt in eo percipi secreta naturæ, quam in ulla alia creatura.*

21. *Quatuor modis potest homo, Domine, percipere secreta naturæ in rebus*

sensualibus & intellectualibus: *primó* percipiendo alias sensualitates cum aliis; *secundó* percipiendo alias intellectualitates cum aliis; *tertió* percipiendo secreta aliquarum intellectualitatum per secreta aliquarum sensualitatum; & *quartó* percipiendo secreta aliquarum sensualitatum per secreta aliquarum intellectualitatum.

22. h. *Liberalis Domine, á quo tuus servus petit abundantiam amorum & ploratum!* Cúm natura operetur actualiter & potentialiter, occultat sensualitatibus sua secreta in potentia, quando privat actualitate formas, & reducit eas in potentiam: igitur, qui ista secreta vult percipere, inquirat ea cum intellectualitatibus in potentia, & non velit discredere & negare illas formas, licet sint absentes à sensualitatibus.

23. Sicut homo habet secretum suum propositum & suam voluntatem, quando nulla verba dicit, ita, *Domine*, natura habet sua secreta occulta, quando habet ea in potentia; quia res, quæ sunt in natura

potentialiter, non possunt demonstrari ulli sensuum corporalium, & propterea oportet secreta naturæ inquirere cum sensibus spiritualibus, qui sunt oculi, per quos homo venit in cognitionem illorum secretorum, quando ea inquirat sine impedimento sensualitatum.

24. Secreta, quæ natura occultat in potentia, *Domine*, inveniuntur & demonstrantur inquirendo genera & species & differentias & proprietates & accidentia in quatuor causis, & in rebus, quæ fiunt casualiter; & istam inquisitionem oportet fieri super tria principia, quæ sunt materia, forma & privatio.

25. i. *Cælestis Domine, pro quo meum cor suspirat & mei oculi plorant!* Qui vult inquirere & percipere secreta aliorum hominum, respiciat se ipsum & suam naturam & suammet proprietatem; quia, sicut unum speculum demonstrat formam alterius in se ipso, ita homo cognoscendo suammet naturam percipit secreta, quæ inquirat in aliis.

26. Quia complexiones hominum sunt diversæ, *Domine*, propterea in ipsis sunt multæ res velatæ & secretæ: igitur, qui sapienter velit inquirere & percipere in aliquo homine res velatas & secretas, habeat cognitionem de complexione & qualitate ipsius, & secundum eas inquireat in ipso id, quod ignorat.

27. Perfectior inquisitio, quam unus homo, *Domine*, possit facere in alio, est si eum tentet & probet in omnibus quinque sensibus sensualibus & in omnibus quinque sensibus intellectualibus; quia, quæcunque res sit in homine secreta, oportet, quòd sit secreta in aliquo vel aliquibus sensuum corporalium vel spiritualium; &, sicut tympanum, quotiescunque pulsatur, dat fonitum, ita quotiescunque homo tentetur & probetur in illa sensualitate vel intellectualitate, in qua habet sua secreta occulta, dat demonstrationem de ipsis, vel per similitudines vel per verba.

28. *K. Domine fortis, á quo roborantur omnes meæ vires.* Qui vult percipere & scire

res

res secretas in aliquo homine, percipiat in eo duas intentiones, & sciat, quænam sit prima & quænam secunda; quia, dummodo habeat cognitionem de his duabus intentionibus, facile est ei cognoscere res secretas, quoniam omne secretum consistit in ignorantia ipsarum, quando homo nescit quænam earum sit prima & quænam secunda.

29. Melior inquisitio, quam homo, *Domine*, possit facere super res secretas, est, quòd inquirat in aliis, secundum quem duorum motuum moveantur in rebus, in quibus habent res secretas, quas inquirat; quia, si cognoscat, per quem duorum motuum moveantur, statim poterit percipere res secretas; quoniam si moveantur per primum motum, suæ operationes referentur ad virtutes & bonos mores & ad bona opera; & si moveantur per secundum motum, suæ operationes referentur ad vitia & defectus & deceptiones & ad peccata & culpas.

30. In aliis hominibus quandoque percipit

Vol. II. Lib. III. Di. XXIX. Cap. CLXXV. 97
cipit homo, *Domine*, res secretas per signa concordantia, & quandoque per similitudines contrarias; quia, si sint justī & veraces, in signis exterioribus percipit homo res secretas & occultas in anima ipsorum; sed, si sint hypocritæ & pleni fraudibus & falsitatibus, in illis, *Domine*, homo per contrarias similitudines exteriores percipit res secretas in anima ipsorum, quia isti non faciunt id, quod dicunt, nec sunt tales interiorius, quales se ostendunt exteriorius; & ideo cogitando oppositum illius, quod faciunt & dicunt, percipit homo illas res, quas habent secretas ad decipiendum alios, de qua deceptione debent rationem reddere in die iudicii in præsentia sui Domini DEI.

CAPUT CLXXV.

QUOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat, res quæ sunt possibles, & res, quæ sunt impossibiles.

1. **O** *DEVS* gloriose, qui amando das
2. **O** *tuis servis labores & amores!* Res,
G quæ

quæ sunt posibles, & quæ sunt impossibiles, inquiri debent, *Domine*, in quinque rebus, scilicet *in Te, in Angelis, in demonibus, in natura & in animalibus*, & propterea confidendo in tuo adiutorio illas inquiramus in his quinque rebus.

2. *Amabilis Domine!* Tres sunt res, per quas homo percipit & cognoscit quænam sint possible & quænam impossible, scilicet *Potestas, Sapientia & Voluntas*, quia per *esse* harum trium rerum percipit homo possibilitatem, & per privationem ipsarum percipit impossibilitatem.

3. *Virtuose Domine!* Cùm dixerimus, quòd in quinque rebus inquiremus possibilitatem & impossibilitatem, & possibilitas sit per tres res, & impossibilitas sit per privationem ipsarum, oportet, quòd in prædictis quinque rebus faciamus inquisitionem cum prædictis tribus rebus, ut cum eis possimus percipere, quænam res sint possible & quænam impossible.

4. b. *O Domine liber, in quo confidit tuus amator!* Possible est Tibi ex nihilo creasse

omnes creaturas, & facere quidquid Tibi placet; quia, cum habeas perfectam Potestatem & Sapientiam & Voluntatem, non est in Te ullus defectus Potestatis nec Sapientiae nec Voluntatis, ratione cujus Tibi sit aliqua res impossibilis, dummodo sit digna fieri.

5. Res, quae sunt Tibi, *Domine*, impossibiles, sunt Tibi impossibiles ratione tuae perfectae Potestatis & tuae perfectae Sapientiae & tuae perfectae Voluntatis; quia adeo abundans es in Potestate & Sapientia & Voluntate, quod impossibile sit Te privari tuo *esse*, & Te facere ullam rem, quae sit defectus & error.

6. *Pie Domine*! Sicut ratione perfectionis tuae Potestatis & Sapientiae & Voluntatis omnes res virtuosae sunt Tibi possibiles, ita ratione perfectionis earundem omnes res vitiosae & defectuosae sunt Tibi impossibiles; quia, si deficeres & errares in tuis operibus, significaretur Te non habere perfectam Potestatem nec Sapientiam nec Voluntatem.

7. c. *Domine JESU Christe, qui me in-
amorasti de tua gloriosa Passione!* Contem-
plando in tua excellenti Bonitate percipit
tuus fervus, quænam res sint posibles &
quænam impossibiles beatis *Angelis*; quia
in hoc, quòd ipsi sint naturati naturâ spiri-
tuali, & sint confirmati in tua gratiosa gra-
tia, percipio eis esse possibile facere bonum
per magnam potestatem & sapientiam &
voluntatem, quas eis dedisti, & esse eis im-
possibile corrumpi & peccare, & hoc est
ratione magnæ benedictionis, quam à Te
receperunt.

8. Res, quæ sunt posibles *Dæmonibus*,
Domine, sunt eis posibles ratione potesta-
tis, quam habent in faciendo malum, quam
potestatem habent, quia habent volunta-
tem faciendi malum, & hanc potestatem
& voluntatem habent, quia habent subti-
litate & astutiam ad faciendum malum;
& quia eis deficit bona voluntas, & habent
potestatem volendi & faciendi malum,
propterea est eis possibile facere malum; &
quod est eis impossibile, est facere bonum;

quia

quia volendo facere malum non est possibile facere bonum; quoniam, sicut malum est contrarium bono, ita est impossibile, quòd voluntas mala faciat bonum, dum est mala.

9. *Honorate Domine!* Quia Tu confirmasti Angelos in bono, & ipsi habent abundantiam potestatis & sapientiæ & amoris ordinati, & quia dæmones sunt privati tuâ gratiâ ratione suæ culpæ, ratione cujus non habent amorem ordinatum, & habent potestatem & scientiam & voluntatem faciendi malum, propterea cognoscitur & percipitur, quænam res sint Angelis & dæmonibus possibles & quænam impossibiles.

10. d. *Domine potens, in quo confidunt omnes mee vires!* Quando nostra cogitatio ducit nostram mentem in rebus, quæ sunt secundum cursum naturalem, percipimus duas naturas, scilicet corporalem & spirituales; & sicut percipimus duas naturas, ita percipimus quænam res sint possibles & quænam impossibiles ambabus naturis, quia

in multis rebus id, quod est possibile naturæ spirituali, est impossibile naturæ corporali, & id, quod est possibile naturæ corporali, est impossibile naturæ spirituali.

11. In quantum se extendunt potestas & sapientia & voluntas naturæ creatæ spiritualis, *Domine*, in tantum se extendit possibilitas ipsius, & in quantum ipsæ non se extendunt, in tantum extenditur impossibilitas ipsius; & hoc idem est de natura corporali secundum potestatem & virtutem, quam ei dedisti.

12. Nam, sicut est possibile, *Domine*, quòd ex homine generetur *homo* & ex leone *leo* & ex gallina pullus & ex palma dactylus, ita est impossibile, quòd ex homine generetur leo & ex gallina dactylus & ex palma homo; & omnes istæ possibilitates & impossibilitates sunt secundum virtutem & proprietates & potestates, quas dedisti naturæ corporali sive elementalī sive quintæ essentiæ.

13. e. - *Gloriose Domine, pro quo mei oculi plorant & meum cor est in amore: Res, quæ sunt*

sunt homini posibles vel impossibiles, sunt tales ratione *duarum* rerum, quæ sunt *perfectio, & defectus*, quæ duæ res sunt in *tribus* rebus, scilicet in *Potestate, Sapientia & Voluntate* : unde res, quæ sunt homini posibles, si sint bonæ, sunt posibles, quia ad ipsas sufficiunt ei sua potestas & sua sapientia & sua bona voluntas; & si sint malæ, sunt ei posibles, quia ad ipsas sufficiunt ei sua potestas & sua ignorantia & sua mala voluntas; & hoc idem per contrarium sensum est de rebus homini impossibilibus.

14. Quia in hominibus sunt possibilitàtes & impossibilitates secundum qualitates & quantitates potestatis & sapientiæ & voluntatis, *Domine*, & quidam homines habent majorem potestatem vel majorem sapientiam vel majorem voluntatem, quam alii; propterea evenit, quòd quibusdam hominibus sint res posibles, quæ aliis sunt impossibiles, & quibusdam sint res impossibiles, quæ aliis sunt posibles, & quasdam res esse uno tempore impossibiles hominibus, quæ alio tempore sunt eis posibles.

15. Secundum istum modum sunt in homine, *Domine*, possibilitates & impossibilitates sensualiter & intellectualiter; quia quidam sunt, qui possunt facere saltum quindecim pedum & emere centum equos, & quidam sunt, qui non possunt facere saltum decem pedum nec emere unum equum; & quidam sunt, qui possunt intelligere rationes logicas & naturales & theologicas, & quidam sunt, qui nullas istarum rationum possunt intelligere; & omnes istae possibilitates & impossibilitates sunt in hominibus diversimodè secundum corpus & secundum animam.

16. f. *O Sancta Trinitas vera Vnitas* & Sicut in hominibus sunt quaedam res, quae sunt aliis possibles & aliis impossibles, licet ipsi sint intra unum genus & unam speciem; ita, *Domine*, est manifestum, quod sint res possibles & res impossibles in rebus, quae non sunt intra unum genus nec unam speciem nec unam naturam.

17. Cum Tu, *Domine DEVS*, sis Creator & omnes aliae res sint creaturae, demonf-

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXV. 105
monstratur nostræ cognitioni, quòd res sint
Tibi possibiles, quæ non sunt creaturis pos-
sibiles, & res sint creaturis possibiles ratio-
ne defectus ipsarum, quæ non sunt Tibi
possibiles ratione tuæ magnæ Perfectio-
nis.

18. Igitur, qui vult cognoscere & per-
cipere, *Domine*, quænam res sint Tibi pos-
sibiles & quænam sint creaturis impossibi-
les, aspiciat tuam excellentem Essentiam &
tuam Bonitatem, & vilitatem & miseriam
naturæ creatæ, quæ est defectuosa & mi-
sera respectu naturæ sui Creatoris; sed,
quia multi homines affirmant illas res esse
possibiles, quæ sunt secundum naturam
creatam, & illas esse impossibiles, quæ non
sunt secundum ipsam, propterea decipiun-
tur in rebus, quæ sunt possibiles secundum
naturam Creatoris, qui facit de natura
creata quidquid vult.

19. g. *Singularis Domine, Creator, Bene-
factor abundans omnibus bonis!* Qui vult in-
quirere, quænam res sint Tibi possibiles vel
impossibiles fieri, non oportet, quòd hoc
inqui-

inquirat nisi in duabus rebus, quæ sunt Justitia & Misericordia; quia omnes res sunt Tibi possibles, quæ sunt secundum Justitiam & Misericordiam, & omnes res sunt Tibi impossibiles, quæ non sunt secundum ipsas.

20. Igitur cum hoc ita sit, *Domine*, quicumque dubitant, an aliquæ res sint factæ vel volitæ à tua Potestate & Sapientia & Voluntate, aspiciant an illæ res significant Justitiam & Misericordiam; & si eas significant, poterunt affirmare illas res esse tua opera; quia, quàm magna est tua Justitia & Misericordia, tam magna est tua Potestas & Sapientia & Voluntas.

21. Si tua Potestas & tua Voluntas, *Domine*, essent majores in tua Essentia, quàm Justitia & Misericordia, significaretur tuam Sapientiam esse minorem tuâ Potestate & tuâ Voluntate, quia in Te sunt æquales Sapientia & Justitia & Misericordia: igitur, cum tua Sapientia in tua Essentia sit æqualis tuæ Potestati & tuæ Voluntati, significatur, quòd tua Justitia & tua

Mise-

Misericordia sint æquales tuæ Potestati & Sapientiæ & Voluntati; & per hoc demonstratur, quòd omnes res sint Tibi possibles, quæ sunt secundum Justitiam & Misericordiam.

22. h. *O Domine DEVS, in quo confidit tuus servus!* Ego sentio in me potestatem dicendi, quòd Tu sis una Substantia in tribus Personis & tres Personæ in una Substantia: igitur, cum ego possim hoc dicere, & in me sit defectus potestatis & sapientiæ & voluntatis, quantò plús Tu potes hoc esse, in quo est omnis Potestas & omnis Sapientia & omnis bona Voluntas?

23. *Amabilis Domine!* Mihi est possibile dicere & credere, quòd Tu sis Creator & quòd resuscitaturus sis mortuos, & quòd Te incarnaveris in Virgine gloriosa: igitur, si ista sunt mihi possible dicere & credere, & ego sum res valde misera, quantò plús Tu, in quo est omnis perfectio, potes ista facere & plura, quàm ego possim dicere & credere?


24. Adeò es Tu, *Domine*, magnus & virtuo-

virtuosus in Potestate & Sapientia & Voluntate, quòd multò plura & majora & meliora possis facere, quàm homo possit sentire sensibus corporalibus & scire sensibus intellectualibus, & propterea nulli homini debet significari esse tibi impossibilia ea, quæ non potest recipere in suis sensualitatibus nec in suis intellectualitatibus; quia multò plura potes Tu facere, quàm ipse recipere, dummodo sint secundum rationem & ordinationem & demonstrationem tuæ perfectæ Potestatis & tuæ perfectæ Sapientia & tuæ perfectæ Voluntatis.

25. i. *Excellent Domine, ad quem tuus benevolus elevat suos amores & suas recollectiones!* Quando mea anima imaginatur superficiem terræ, quæ est infra nos, videtur meæ cognitioni & meæ rationi, quòd omnes lapides & aquæ, quæ sunt in illa superficie, debeant cadere deorsum, & videtur mihi possibile, quòd cadant, & impossibile, quòd non cadant; sed oppositum hujus possibilitatis & impossibilitatis videretur hominibus, si essent in ipsa superficie

terræ

terræ, quæ est infra nos, quia videretur eis, quòd nos & lapides & aquæ tenderemus sursum, quod sursum videretur eis esse deorsum; quia haberent suos pedes in rectitudine nostrorum.



26. Ratio, quare hominibus existentibus in superficie terræ, in qua est litera A, videtur, *Domine*, esse impossibile, quòd cadant

dant sursum, & videtur eis, quòd res existentes in superficie terræ, in qua est litera B, cadant deorsum, est contrarietas locorum, quæ contrariantur in superioritate & inferioritate; & propterea videtur illis hominibus esse possibile id, quod est impossibile, & esse impossibile id, quod est possibile; & simili modo sunt multi homines contrarii & discordantes in fide, quia nolunt mortificare suam sensualitatem, ut possint intelligere veritatem.

27. Benedictus sis, *Domine DEVS*, quia per istud exemplum & similitudinem percipit tuus servus multas possibilitates & multas impossibilitates; quoniam mortificando meam sensualitatem in cursu naturæ, quem Tu constringis, quoties velis, percipio esse Tibi possible, quæ non perciperem, nisi ipsam mortificarem; quia, sicut homo existens in superficie terræ, in qua est A, quousque mortificaverit naturam superioritatis & inferioritatis in sua imaginatione, non potest intelligere secundum naturam, quòd res existentes in superficie terræ, in

qua

qua est B. non cadant ; ita , *Domine* , ego non possum percipere res , quæ sunt contra cursum naturæ , quousque intelligam Te esse potentem super ipsum ; & propterea in quantum sequor meam naturam , ignoro , & in quantum aspicio tuam Bonitatem & tuam Potestatem , percipio.

28. K. *O Domine* , qui regnas per omnia elementa & per totum firmamentum ! Quando homo sequitur suam sensualitatem , & facit suam intellectualitatem servam illius , sua intellectualitas decipitur per inordinationem , quam recipit per hoc , quòd sit subdita sensualitati ; & propterea videtur ei esse possibile id , quod est impossibile , & esse impossibile id , quod est possibile ; & totum hoc evenit per hoc , quòd ponat inferiùs id , quod deberet esse superiùs.

29. Qui vult inquirere , *Domine* , quænam res sint posibles & quænam impossibiles , continuet suam inquisitionem ; quia , quò plus eas inquiret , eò meliùs eas percipiet , dummodo ordinatè eas inquireat ; quoniam , sicut homo in domo obscura plus videt

videt, postquam aliquantulum in ea fuit, quàm quando intrat in ipsam, ita omnis homo eò plús percipit res, quas inquirit, quò plús durat sua inquisitio.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine DEVS*, confitetur & fatetur & affirmat & credit, quòd Tibi sint omnia possible, dummodo sint ad demonstrationem tuæ honoratæ Potestatis & tuæ perfectæ Sapientiæ & tuæ benignæ Voluntatis, quibus sunt impossibile omnia, quæ sunt contraria perfectioni Potestatis, Sapientiæ & Voluntatis divinæ.

CAPUT CLXXVI

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat, quòd noster Dominus *DEVS*
sit in esse.

1. **D***EV*S gloriose, quem reverentur &
a. **D**honorant omnes populi! Quia est
valde magna ratio & valde conveniens,
quòd Tu habeas esse & non careas ipso;
prop-

propterea omnes sensualitates sunt subiectum & instrumentum omnibus intellectualitatibus, ut per eas dent homini certificationem & veram demonstrationem de tuo glorioso *Esse*, quod est verius in *esse*, quàm omne aliud *esse*.

2. Qui dubitat de tuo virtuoso *Esse*, *Domine*, & vult inquirere, an sit in *esse* vel non, oportet, quòd ordinatè ipsum inquirat per quasdam sensualitates percipièdo & cognoscendo alias sensualitates, & per quasdam sensualitates percipièdo & cognoscendo quasdam intellectualitates, & per intellectualitates perceptas & cognitatas per sensualitates percipièdo & cognoscendo alias intellectualitates, quibus potest homo vere percipere & cognoscere, quòd Tu sis in *esse*, hoc est, quòd habeas *esse*; quia *esse*, in quo Tu es & tua *Essentia*, est idem; sed quia inquirimus, an Tu sis in *esse*, verbum debet hoc dicere, & intellectus sanius hoc intelligit, quàm verbum hoc dicat.

3. *Amabilis Domine* ! Sicut omnia ope-

H

ra

ra sensualia significant & demonstrant se habere factorem, qui ea fecit, ita omnes sensualitates & intellectualitates ordinatæ significant & demonstrant se habere Factorem & Ordinatorem & Creatorem & Dominum, qui eas creavit & fecit & ordinavit & beneficiavit.

4. b. *O Domine mirabilis, cui sunt subdita omnes creaturæ* ! Sicut res, quas sentimus & intelligimus & possidemus, significant & demonstrant quatuor Causas, scilicet efficientem, materialem, formalem & finalem, quia finè ipsis nulla earum posset esse; ita ipsæ quatuor causæ significant & demonstrant tuum excellens *Esse*, quia finè ipso nulla earum posset esse.

5. Has quatuor causas, de quibus intendimus loqui, *Domine*, cognoscimus esse terminatas & finitas; & hoc cognoscimus ratione operationum, quæ fiunt in eis, ex eis & per eas, quæ sunt finitæ & terminatæ in tempore & loco & quantitate & qualitate: igitur in hoc, quòd quatuor Causæ sint finitæ & terminatæ in suis operationibus, demonstratur

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXVI. 115
monstratur unam non esse aliam; & quia una non est alia, oportet unam esse finitam & terminatam per aliam, & quamlibet earum habere quantitatem finitam.

6. Cúm quatuor Causæ sint in sua totalitate & in omnibus suis partibus finitæ & terminatæ, *Domine*, significatur, quòd sua magnitudo & sua virtus sint finitæ & terminatæ; & cúm magnitudo & virtus quatuor causarum sint finitæ & terminatæ, percipitur, quòd sit in *esse* aliqua res infinita in Magnitudine & Virtute, quæ terminet ipsas; & hanc rem percipimus esse tuam excellentem Essentiam divinam.

7. c. *Domine amate, Domine honorate super omnes amores & super omnes honorationes!* Cogitando & imaginando quænam res sit perfectio & quænam defectus, potest homo inquirere & percipere, an Tu sis in *esse* vel non; quia perfectio meliùs convenit in natura & proprietate cum *esse*, quàm cum privatione; cúm inter perfectionem & privationem non sit ulla natura nec ulla
la

la proprietas nec ulla concordantia; & similiter est de defectu & privatione; quia defectus & privatio concordant per hoc, quòd defectus in aliqua re non fit nisi privatio potestatis & sapientiæ & virtutis & gratiæ & bonitatis, cùm per hoc, quòd istæ res non sint in aliqua substantia, sit defectus in ea: igitur, cùm in hoc mundo videamus multas res esse, in quibus sunt defectus, significatur humanæ rationi intelligenti & percipienti istas significaciones, quòd oporteat esse aliquam rem, in qua nullus sit defectus.

8. *Virtuose Domine!* Nos videmus, quòd firmamentum & elementa & individua composita ex eis sint in *esse*, & percipimus in omnibus ipsis multos defectus, quia firmamentum est finitum & caret sensualitate, cùm non sentiat, & intellectualitate, cùm non intelligat; & elementa sunt finita & corruptibilia in individuis, in quibus componuntur; & animalia sunt finita in quantitate & duratione & scientia, & habent multos alios defectus; & licet omnia

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXVI. 117
nia ista habeant multos defectus in se, ta-
men possident *esse* : igitur, si res, in qui-
bus sunt multi defectus, habent aliquam
dignitatem, ratione cuius merentur habe-
re *esse*, quantò plús significatur, *Domine*,
quòd aliqua res sit in *esse*, in qua non sit
ullus defectus, & quæ habeat omnem per-
fectionem, ratione cuius sit digna habere
esse, & sit inconueniens ipsam non habere
esse.

9. Omnes sumus certificati, *Domine*,
quòd multæ res sint in mundo, in quibus
sunt multi defectus ; & licèt habeant mul-
tos defectus, melius est eis *esse*, quàm non
esse; & quòd hoc ita sit, probatur in qualibet
creatura, quæ conservat suum *esse*, in quan-
tum potest : igitur, si rebus, in quibus est
defectus, melius est *esse*, quàm *non esse*, sig-
nificatur & demonstratur, quòd, cùm ipsæ
possideant *esse*, & illa possessio sit eis bo-
na, sit aliqua alia res, quæ per suam per-
fectionem habeat *esse*, quod sit ei bonum,
& hæc est tua excellens Essentia divina, in
qua quidquid est, est DEUS.

10. d.

10. d. O Domine sancte Sanctorum, Pater virtutum ! Si Tu non esses in esse, omnia, quæ sunt in hoc mundo, essent frustra ; quia, nisi Tu esses, non esset aliud sæculum, & nisi ipsum esset, istud esset frustra : igitur per hoc percipitur, quòd Tu sis in esse ; quia, nisi esses, plus perfectionis esset in privatione, quàm defectus, & plus defectus esset in esse, quàm perfectionis, & hoc est impossibile, quia natura perfectionis non convenit cum privatione, & convenit cum esse, & natura defectus non convenit cum esse, & convenit cum privatione ; & per hoc significatur, quòd multò plus perfectionis sit in esse, quàm in privatione, & multò plus defectus sit in privatione, quàm in esse.

11. Quando homo, Domine, contemplatur in tua gloriosa Essentia, tunc cogitando & imaginando & æstimando percipit multò plus perfectionis esse in ipsa, quàm sint omnes perfectiones & omnes defectus, qui sunt & possunt esse in omnibus creaturis ; quia perfectio, quæ est in Te, est infinita,

finita , & omnes perfectiones & defectus , qui sunt in creaturis , sunt finiti & terminati : igitur , si Tu non esses in *esse* , plus perfectionis esset in non *esse* , quàm defectus , & hoc est impossibile , quòd perfectio possit esse plus in privatione , quàm defectus .

12. Nos videmus , *Domine* , quòd homo , quia habet nobilius *esse* , quàm vegetabilia & animalia irrationalia , sit Dominus & possessor omnium illorum ; & hoc est , quia dignum est , quòd ille , qui plus valet , sit Dominus & possessor : unde ista similitudo significat humanæ rationi , quòd Tu sis in *esse* ; quia si homo est in *esse* , & est Dominus & possessor rerum , quæ sunt inferiores ipso in perfectione , & habet in se multos defectus , significatur , quòd sit in *esse* aliqua res , quæ habeat perfectionem , ratione cuius sit digna dominari & possidere hominem & omnia , in quibus sint defectus in comparatione sui perfecti *esse* .

13. e. *Recreator Domine* , qui pro nobis peccatoribus tulisti multos languores ! Tu scis , quòd intellectualitates sint oculi , quibus homo

homo videt Te esse in *esse*; quia nos intelligimus & scimus, quòd in homine sint multi defectus, & tamen sint in eo multæ virtutes & multa bona; quoniam videmus in eo esse vitam & amorem & voluntatem & intellectum & placitum & multa alia bona: igitur, si in homine sunt omnia ista bona & omnes istæ virtutes, quantò plus significatur, quòd sint in aliqua re, in qua nullum sit vitium nec ullus defectus? quia si bonum & virtus est in re, quæ est subjecta vitiis & defectibus, multò plus debet esse in re non subjectâ vitiis nec defectibus.

14. *Virtuose Domine!* Homo possidet plura bona temporalia, quàm ulla alia creatura, & tamen, quantumcunque multa possideat, non ei sufficiunt, ut sit satisfactus, imò semper desiderat plus habere: igitur per hoc, quòd homo non possit fatiari de rebus temporalibus, significatur, quòd Tu sis in *esse*, qui es Perfectio, quam anima hominis desiderat habere & cognoscere: igitur, si Tu non esses in *esse*, ani-

ma hominis non desideraret complere su-
um desiderium in re, in qua esset perfec-
tio & completum *esse*.

15. Unde, cum animæ hominis, *Do-
mine*, non possit sufficere id, quod est in
se ipsa, nec id, quod est in corpore cum
ea conjuncto, nec quidquid est in hoc mun-
do, & adhuc desideret plus habere, signi-
ficatur, quòd in ipsa sit defectus, & quòd
ipsa desideret recipere perfectionem ab alia
re, in qua non sit ullus defectus, quæ res
est, *Domine*, tuum gloriosum *Esse*, quod
est æternaliter in *esse* sinè omni defec-
tu.

16. f. *Gloriose Domine, amoroſe, sapiens
in omnibus ſapientiis!* Manifestum est, quòd
homo sit in statu, in quo habet disposi-
tionem faciendi bonum & malum: unde
status, in quo est homo, significat neces-
sariò oportere, quòd homo recipiat præ-
mium pro bono, quod facit; quia, nisi
haberet meritum per sua opera, non esset
in statu, in quo est, & frustra haberet dis-
positionem & directionem & libertatem fa-
ciendi

ciendi bonum vel malum : igitur , cùm significetur homini præmium , significatur , quòd Tu sis in *esse* ; quia , nisi Tu esses , non foret , qui præmiaret hominem , cùm totus iste mundus non sufficiat ad præmiandum ipsum , si faciat bonum , nec ad puniendum ipsum , si faciat malum ; & propterea oportet esse aliud sæculum , in quo homo præmiatur , quod non posset esse , nisi Tu esses.

17. *Amorose Domine !* In toto mundo non sentimus ullam rem , quæ tantum valeat , quantum homo ; quia nec firmamentum nec elementa nec vegetabilia nec animalia irrationalia nec metalla nec ullæ aliæ res habent tot virtutes nec tot bona , quot habet homo : igitur , si Tu non esses in *esse* , quis dedisset tot bona homini ? Nam quod non valet tantum , quantum homo , non potuit ipsa ei dare , cùm nulla res possit dare id , quod non habet ; nec illa bona potest homo habere à se ipso , cùm ipse non faciat suam naturam nec naturam creaturarum ei subditarum : igitur ab alia re oportet

ter

ret venisse bona, quæ sunt in homine, quam rem oportet habere in se perfectionem sufficientem ad dandum homini omnia bona, quæ sunt in ipso.

18. *Honorate Domine!* Sicut homo est melior & nobilior res, quæ sit in hoc mundo, ita per contrarium est peior res & in qua sunt plura mala & labores, quàm in ulla alia re, quia homo est culpabilis & peccator & tribulatus sensualiter & intellectualiter, & propterea habet plus mali quàm ulla alia res: unde, si Tu, *Domine*, non esses in *esse*, bonum & malum, quod est in homine plus, quàm in alia re, deleretur & finiretur in sua morte, quia ipse post mortem nihil esset: igitur multiplicatio boni & mali, quæ est in homine, significat, quòd non sit frustra; quia res, quæ sunt frustra, in quantum sunt minores & pauca & rara, significant casualitatem; sed res, quæ sunt multæ & frequentes, in quantum sunt majores & plures & frequentiores, significant causam, secundum quam formentur in magna quantitate.

19. g. *Ordinator Domine, in quo ordinatur tuus amator!* Cúm nos videamus firmamentum esse mobile, percipimus ipsum esse finitum & terminatum; quia omnem rem mobilem oportet esse finitam & terminatam: igitur in finitate & terminatione firmamenti percipimus aliquam rem esse extra terminos ipsius; quia meliús significatur intellectui hominis, quòd extra rem terminatam sit aliqua res, quàm quòd extra ipsam nihil sit: igitur, cúm homo, *Domine*, debeat esse obediens suo intellectui, & maximè quando cognoscit res proficuas, propterea affirmamus extra terminos firmamenti esse aliquam rem, quæ est tuum gloriosum esse.

20. Si quis dicat, *Domine*, quòd res, quæ est extra terminos firmamenti, sit finita usque ad aliam rem, & hæc usque ad aliam & sic in infinitum, respondemus, quòd res, quæ est extra firmamentum, non percipiatur esse mobilis; & quia non videtur esse mobilis, non potest ei attribui terminatio, sicut attribuitur firmamento ratione

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXVI. 125
tione suæ mobilitatis; & propterea non de-
bet affirmari illam rem finitam, cùm in-
tellectus ad hoc non obliget.

21. Si extra firmamentum esset, *Do-
mine*, aliqua res, quæ esset finita in alia
re & ista in alia, finaliter oporteret esse
unam rem infinitam, in qua essent finitæ
& terminatæ omnes aliæ; quia est impos-
sibile, quòd infinitè sint quædam res fini-
tæ in aliis, cùm quantitatem earum neces-
sariò oporteat esse finitam in magnitudine
& in numero; & res, quæ sit una, potest
esse infinita in magnitudine & in virtute
ratione suæ unitatis & suæ singularitatis
& suæ virtutis & suæ simplicitatis, quam
rem percipimus esse tuam gloriosam Essen-
tiam, quæ terminat omnes alias res.

22. h. *Vere Domine, plene dulcedine &
placito!* Nos videmus & percipimus à mo-
tu firmamenti provenire quantitates anno-
rum & mensium & septimanarum & die-
rum & horarum & minutorum & momen-
torum, & istas quantitates numeri oportet
esse finitas; quia omnem multiplicationem
factam

factam per motum oportet esse finitam & terminatam; quoniam, sicut firmamentum est finitum in quantitate, ita est necessarium, quod ejus motus sit finitus in quantitate; & per hoc probatur, quod partes generatas per motum oporteat esse finitas: igitur secundum hoc significatur aliquam rem esse infinitam, quæ significatur in finitate quantitatis partium finitarum generatarum per motum firmamenti.

23. *Gratiosè Domine!* Nostræ cognitioni est manifestum, quod firmamentum sit finitum in magnitudine, & finitas, quam firmamentum habet in magnitudine, significat motum ipsius esse finitum; quia, sicut firmamentum caret dignitate & nobilitate infinitatis, per quam sua magnitudo sit infinita, ita motus firmamenti caret dignitate & nobilitate æternitatis, per quam sit infinitus, cum nullum corpus finitum in magnitudine sit dignum habere motum æternum & infinitum: unde benedictus sis, *Domine*; quia in finitate & terminatione motus firmamenti significatur, quod Tu sis
in

in *esse*, & quòd tuum *Esse* sit æternum & infinitum sinè ullo motu, & terminet omnes res mobiles & motas.

24. Cùm sensualiter sentiamus, *Domine*, firmamentum esse mobile, & nostræ rationalitati non demonstretur ipsum esse mobile per naturam & proprietatem, quæ sit in se ipso nec in elementis, per hoc significatur nostro intellectui, quòd Tu sis in *esse*, qui facis firmamentum moveri circulariter, qui motus non posset esse, nisi tuum gloriosum *Esse* esset in *esse*.

25. i. *O liber Domine, qui multa corda implevisti amore & multos oculos lacrymis & multa ora tuis laudibus!* Omnes sumus certificati sensualiter & intellectualiter, quòd libera voluntas sit in homine, & quòd homo per liberam voluntatem faciat multas res contrarias cursui naturæ: igitur, si Tu non esses in *esse*, esset sola natura, quæ daret *esse* rebus; & cùm libera voluntas multoties sit contraria ipsi naturæ, natura dedisset *esse* suo contrario, quod est impossibile secundùm cursum naturæ, quia secundùm

dúm ipsam nulla res dat *esse* suo contrario;
& per hanc impossibilitatem significatur,
Domine, quòd Tu sis in *esse*, qui dedisti
esse liberæ voluntati, quæ est in homine.

26. Sentitur & intelligitur, *Domine*,
quòd homo sit res viva, sed non sentitur
nec intelligitur, quòd firmamentum nec
quatuor elementa sint res viva, cum non
percipiatur in eis ullus quinque sensuum
intellectualium nec ulla Virtutum animæ;
& quia non sunt res viva, non possunt dare
esse animæ hominis, quæ est res viva, cum
nulla res possit dare hoc, quod non habet:
igitur, cum vita hominis sit in *esse*, & non
possit esse à firmamento nec ab elementis,
significatur, quòd sit in *esse* aliqua alia res
viva, à qua anima hominis recipiat *esse*.

27. *Honorabilis Domine!* Manifestum
est omnibus, quòd totus mundus sit ordi-
natus in suis generibus & in suis speciebus
& in suis individuis secundum naturam &
rationem; & hanc ordinationem non potue-
runt dare mundo firmamentum & elemen-
ta nec vegetabilia & metalla, quia omnia
ipsa

ipsa carent vitâ; & nulla res potest ordinare mundum in dispositione, in qua est ordinatus, nisi habeat vitam; nec homo, *Domine*, est sufficiens, ut potuerit ordinare firmamentum nec elementa nec ullas res, quæ fiunt naturaliter, cum solum possit facere illas res, quæ fiunt accidentaliter & artificialiter: igitur, cum mundus sit ordinatus, & non possit se ipsum ordinare nec se sustinere in sua ordinatione per se nec per suas partes, significatur, quòd sit in *esse* aliqua res adeò nobilis, quòd sufficiat ad dandum ordinationem mundo & ad sustinendum ipsum in sua ordinatione.

28. K. *O Juste Domine, qui es communis & equalis in omnibus tuis Sententiis: Nos videmus, quòd elementa nocte & die in individuis compositis ex eis non faciunt nisi generare & corrumpere formas: igitur per istum motum, qui fit super materiam generantem & corrumpentem formas per contrarietatem, quæ est inter formam & privationem, significatur, quòd aliqua res sit in *esse*, quæ dedit *esse* elementis, quæ*

non habent potestatem nec virtutem sufficientem ad sustinendum in *esse* formas, quas generant, imò ipsæ corrumpuntur per defectum, qui est in elementis, qui defectus significat ipsa elementa habere principium & finem demonstrando generationem & corruptionem in suis operibus.

29. Manifestum & probatum est, *Domine*, quòd ars Necromantiæ sit in *esse*, quæ non posset esse nisi Tu esses in *esse*, cum sine Te dæmon non posset esse; & si dæmon non esset, necromantia non esset; quia sine dæmone necromanticus non posset uti suâ arte: igitur, cum necromantia sit in *esse*, significatur, quòd dæmon sit in *esse*, & per *esse* dæmonis significatur, quòd Tu sis in *esse*, qui dedisti *esse* Angelis, qui per suam culpam facti sunt dæmones.

30. Quilibet homo, *Domine*, potest probare in se ipso, quòd sibi veniant multæ tentationes & multæ admonitiones ad faciendum bonum & ad faciendum malum, quæ tentationes & admonitiones non possent venire homini adeò frequenter nec

adeò

adeò magno fervore & ardore, nisi dæmones & Angeli essent in *esse* : igitur per hoc significatur & probatur Angelos & dæmones esse in *esse*, qui non possent esse, nisi Tu esses in *esse* : unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia per omnes istas rationes & per multas alias percipit homo Te esse in *esse*, dummodo velit percipere res intellectuales per sensuales, & alias res intellectuales per alias; quia omnes sensualitates & intellectualitates dant significationem scientibus eam percipere, quæ demonstrat, quòd sit in *esse* tua gloriosa Essentia divina.

CAPUT CLXXVII.

QVOMODO HOMO POSSIT PER-
cipere & cognoscere, quid sit divina
Essentia.

1. **O** *DEVS* gloriose, misericors, pie,
a. **O** *potens, virtuose* ! Confidendo in tuo
Adjutorio & in tua Gratia tuus servus, *Do-*
mine,

mine, ad honorem & reverentiam Tui in-
 quirat *esse* tuæ Essentiæ, ut possit pervenire
 ad certam cognitionem illius rei, quæ est
 tua Deitas; & hanc inquisitionem facit
 duabus intentionibus.

2. Prima intentio, quare mea anima,
Domine, inquirat habere cognitionem de
 tua Essentia, est, ut melius & ferventius
 inamoretur de Te, & ut diutius contem-
 pletur in Te; quia cognoscendo Te homo
 amat Te, & quò plus habet suam mentem
 in Te, eò plus crescit suus amor & fervor,
 & eò plus Te laudat & glorificat.

3. *Virtuose Domine!* Secunda intentio,
 quare tuus subditus inquirat habere cogni-
 tionem de tua honorata Essentia, est, ut
 possit captivare & terminare virtutes suæ
 animæ in inquisitione, quam faciet; quia
 intrat in inquisitionem, in qua deficiet sua
 cognitio & omnes suæ virtutes, & istam
 inquisitionem facit ad gloriam & laudem
 Tui, quia, quò plus anima deficit in attin-
 gendo & sciendo *esse* tuæ Essentiæ, eò plus
 cognoscit excellentiam ipsius, quæ est adeò

magna

magna & adeò nobilis, quòd nulla anima possit sufficere ad percipiendum & attingendum totam ipsam.

4. b. *Æterne Domine, cui fit reverentia & honor*! Tu scis, quòd omnia, quæ homo inquirat, inquirat duobus modis, scilicet inquisitione sensuali, & inquisitione intellectuali; & istæ duæ inquisitiones fiunt in quinque rebus, quarum *prima* est, quando homo inquirat unitatem rei, *secunda* quando inquirat, an ista unitas sit in dualitate vel in trinitate vel in quaternitate, *tertia* quando inquirat qualitates rei, *quarta* quando inquirat res, quæ non sunt *esse* substantiæ illius rei, & *quinta* quando inquirat, quid sit essentia illius rei in se ipsa.

5. Quando homo, *Domine*, facit prædictam inquisitionem in aliqua re sensuali, potest in ea attingere & invenire omnes prædictas quinque res; sicut in palma, quam homo percipit esse unam substantiam, & quando inquirat, quomodo unitas ipsius dividatur, invenit, quòd dividatur in duas res scilicet in materiam & formam;

&

& quando inquirit qualitates ipsius, invenit ipsam esse longam & rectam; & quando inquirit, quid palma non sit, invenit ipsam non esse olivam nec ficum; & quando inquirit *esse* ipsius palmæ, invenit ipsum esse corpus compositum ex quatuor elementis; & quia attingit in substantia sensuali omnes istas quinque res, habet de ea perfectam cognitionem quoad ipsas.

6. *Honorate Domine!* Quinque rerum, quas homo percipit in rebus sensualibus, percipit quatuor in rebus intellectualibus, & ignorat quintam; quia, si inquirat unitatem animæ, potest percipere animam esse unam substantiam spirituales; & si inquirat, quomodo illa unitas dividatur, percipit animam esse in duabus rebus, quæ sunt materia & forma; & si inquirat qualitates animæ percipit animam esse memorativam, intellectivam & volitivam; & si inquirat, quid anima non sit, invenit ipsam non esse rem corporalem nec animam Petri esse animam Guillielmi; sed si postea inquirat, quid sit essentia animæ in se ipsa, deficit suus intellectus

tellectus & sua perceptio, & non potest ultra progredi per cognitionem, imò retrocedit per ignorantiam, quò plús vult inquirere istam quintam rem, quam homo non potest cognoscere in præsentí vita in rebus spiritualibus.

7. c. *Domine sapiens, cui nulla res sunt occultæ!* Tibi sit gloria & honor; quia per hoc, quòd Tu sis Substantia intellectualis spiritualis, percipimus in tua Substantia quatuor res, & deficimus in percipiendo quintam, quam non possumus percipere, quantumcunque inquiremus; quia impossibile est nobis eam percipere, cum non possimus ipsam percipere in nostramet anima.

8. *Amabilis Domine!* Sicut inquisitiones, quas homo facit in rebus intellectualibus, sunt graviores & periculosiores, quàm inquisitiones, quas facit in rebus sensualibus, ita, & adhuc multò plús sinè omni comparatione, est gravior & periculosior inquisitio, quam facit inquirendo, quid sit tua Substantia, quàm ulla alia inquisitio, quam

quam faciat in qualibet alia re; & propterea in hac inquisitione indigemus tuo Adjutorio & tuâ Patientiâ & tuâ dulci Misericordiâ & tuâ magnâ Humilitate.

9. Qui vult intrare in hanc periculosam inquisitionem, *Domine*, caveat sibi, ne suæ sensualitates impediunt suas intellectualitates; quia anima, quæ se exponit adeo gravi inquisitioni, indiget esse directa in omnibus suis potentiis & in omnibus suis Virtutibus, & non esse subdita ulli sensualitati; sicut, qui intrat in magnum pelagum, indiget claritate & directione, ut possit ab eo exire & venire ad portum restorationis.

10. d. *O Pater cælestis, á quo speramus gratiam & benedictionem!* Qui inquit, *Domine*, tuam Unitatem in significatione, quæ fit de Trinitate, potest percipere Te esse unam Substantiam; quia Infinitas, per quam significatur Persona Patris, & Vita, per quam significatur Persona Filii, & Aternitas, per quam significatur Persona sancti Spiritus, veraciter significant Te esse

unam

unam Substantiam, quæ Unitas significatur significando tuam Substantiam in Trinitate.

11. Quando homo, *Domine*, inquit, an tua Unitas sit in pluralitate, significatur ei ipsam esse in Trinitate Personarum & non in sola dualitate nec in quaternitate; quia tua Infinitas significat in tua Substantia unam Personam, & tua Vita significat in ipsa aliam Personam, & tua Æternitas significat in ipsa aliam Personam, & nulla res est in Te, quæ in tua Substantia significet quartam personam nec plures nec pauciores, quàm tres.

12. Quando homo, *Domine*, inquit qualitates in tua Essentia, percipit in ea Potestatem & Amorem & Sapientiam & Iustitiam & alias qualitates, quæ sunt essentialis non accidentales, & sunt diversæ adinvicem secundum nos, sed secundum Te sunt una res, sinè ulla diversitate & sinè ulla divisione unius ab alia; quia, quidquid est in Te, es Tu, & Tu es una Substantia, quæ est tres Personæ, & omnes tres Personæ sunt

illa

illa Substantia; & propterea omnes qualitates sunt in Te una Substantia in tribus Personis, & Substantia & tres Personæ sunt tuæ qualitates.

13. e. *Singularis Domine, verax in omnibus tuis promissis!* Quando homo inquit quænam res non sunt tua Essentia, percipit, quòd nec firmamentum nec elementa nec ulla res corporalis nec ulla res finita & terminata sint ipsa, & hoc percipit per hoc, quòd sensualitates & intellectualitates significant in omnibus prædictis rebus defectum vel secundum quantitatem vel secundum qualitatem, & in tua Essentia nullus est defectus.

14. Omnes prædictas quatuor res potest homo, *Domine*, certò cognoscere de tua gloriosa Essentia, sed quando meus intellectus inquit in ea quintam rem, licet semper inquireret, tamen nunquam aliquid inveniret, imò, quò plus inquireret, eò minus inveniret; quia, quò plus homo vult cognoscere & percipere res impossibiles percipi, eò plus obtunditur suum ingenium

&

& sua cognitio, quoniam inquirendo eas, ignorat res impossibiles cognosci.

15. Sicut speculum non potest demonstrare figuras, quæ sunt retro ipsum, nec quæ ab eo sunt nimis distantes; ita, *Domine*, meæ animæ non est data potestas nec natura nec proprietas, per quas possit percipere, quid sit tua Essentia in se ipsa: unde benedictus sis Tu, *Domine*, qui in hoc sæculo nequam & misero velas & occultas animæ humanæ conjunctæ cum corpore corrupto per peccatum tuam Essentiam, quæ est res non cognita in tua Substantia ab ullo homine vivente in hac præsentivita.

16 f. *JESU* Christe, qui es Creator quantum ad Naturam divinam, & es Creatura quantum ad Naturam humanam! Sicut intellectui hominis est possibile percipere & intelligere omne id, quod est intra terminos, usque ad quos habet virtutem & potestatem intelligendi & percipiendi, ita, *Domine*, est ei naturale & secundum rationem non posse percipere & intelligere ultra.

præ-

prædictos terminos.

17. Quòd ego, *Domine*, non possim percipere, quid sit tua Essentia in se ipsa, provenit ex defectu meæ cognitionis, quæ non sufficit ad recipiendum rem majorem se; & ista ignorantia non solùm est in mea anima ratione defectus virtutis, qui est in ea, sed etiam ratione magnæ nobilitatis, quæ est in tua gloriosa Essentia.

18. Non est mirum, si homo, *Domine*, non possit cognoscere res, quæ non sunt possibiles sciri à sua anima, imò esset valde mirum, si perciperet & cognosceret ultra terminos, in quibus virtutes & potentiæ animæ sunt terminatæ: igitur, cùm tua Essentia sit infinita, & mea anima sit finita & terminata, non est mirum, si tua Essentia non possit tota cognosci à mea anima.

19. g. *Domine amate, Domine honorate, Domine metuende!* Infantulus, qui est in utero suæ matris, non habet sensualitatem nec intellectualitatem, per quam possit percipere ullam rerum sensualium nec intellectualium; & ista ignorantia est in eo per defectum

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXVII. 141
defectum sensuum sensualium & intellectualium, qui sunt privati actualitate, & ratione hujus privationis ipse ignorat omnes res.

20. Sicut infantulus in utero suæ matris existens habet omnes suos sensus terminatos, & ratione hujus terminationis ignorat omnes res, quæ sunt in hoc mundo, ita, *Domine*, humana perceptio est inclusa & terminata in hoc mundo, & ratione hujus terminationis non potest percipere, quid sit tua Essentia in se ipsa; sed ista ignorantia finietur in gloria, in qua anima per tuam gratiam & benedictionem gloriando in tua gloriosa Essentia habebit cognitionem de ipsa.

21. Tuus servus & tuus subditus, *Domine*, fatetur & confitetur in præsentia tui gloriosi Altaris, quòd omnes suæ sensualitates & intellectualitates non sufficiant ad percipiendum & cognoscendum illam rem, quæ est tua Essentia in se ipsa; & quia meus intellectus & meum ingenium & meæ vires non possunt ultra progredi, revertitur mea
anima

anima ad contemplantum in tua Essentia illas res, quas in ea potest cognoscere & percipere.

22. h. *O Domine, qui natus es ex Virgine gloriosa* : Sicut duæ res sunt, per quas incedit cursus naturæ, & istæ sunt potentia & actus, ita duæ res sunt, propter quas mea perceptio non potest attingere tuam Essentiam in illa perfectione, in qua Tu eam percipis, & istæ sunt tua Perfectio, & meus defectus; quia de tua Nobilitate est, quòd nemo sciat in Te tantum, quantum Tu ipse scis; & de meis defectibus est, quòd non possim habere tantam cognitionem, quantum habet meus Creator.

23. Sicut in piscibus, qui vivunt in aquis, & natant per ipsas, non invenitur ulla natura & proprietas, per quam possint vivere & ire per terram, ita, *Domine*, in mea anima non possum invenire ullam proprietatem nec ullam virtutem nec ullam naturam, per quam possit percipere illam rem, quæ est tua Essentia in se ipsa.

24. *Gratiosè Domine* ! Nec parum nec multum

multum percipit mea anima, quid sit tua
Essentia in se ipsa; sed tamen per tuam gra-
tiam percipit tuam Essentiam esse in *esse*, &
esse unam Substantiam in tribus Personis,
& percipit in ea qualitates, & percipit tuam
Substantiam non esse ullam rerum finita-
rum; sed licet mea anima percipiat in Te
omnes istas res, tamen non putat eas posse
percipere in hoc mundo ita perfectè, sicut
sperat eas percipere in tua Gloria.

25. i. *O Salvator! O Restaurator! O Ama-
tor omnium bonorum!* Nos videmus, *Domine*,
quod homines laici, qui non sciunt legere,
semper possent aspicere literas, & nunquam
perciperent, quid ipsæ significant, quous-
que aliquis eos instrueret: igitur, si homo
ignorat res sensuales per defectum Magis-
tri, quantò plùs ignorat res intellectuales,
quas non didicit, & quæ sunt invisibiles.

26. Non est ullus homo, *Domine*,
quantumcunque magnam sapientiam ha-
beat, qui possit percipere cogitationes &
voluntates hominum; quia non sunt ullæ
sensualitates nec ullæ intellectualitates, quæ
suf-

144 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
sufficiant ad dandum ei istam perceptionem: igitur, si intellectus hominis non sufficit ad percipiendum cogitationes & voluntates hominum, quantò plùs dignum est, quòd non sufficiat ad percipiendum tuam Essentiam in se ipsa?

27. Multas rationes & similitudines & comparationes possemus dare, *Domine*, secundum quas cognoscitur & demonstratur humanam perceptionem non sufficere ad cognoscendum tuam gloriosam Essentiam in se ipsa; sed licèt hoc ita sit, tamen non excusatur anima hominis ab amando Te; quia tot res percipit in tua gloriosa Essentia, quæ sunt ad demonstrationem tuæ Bonitatis, quòd per eas fit obligata & subdita ad amandum Te super omnes amores.

28. *K. Benigne Domine, á quo recipiunt gratiam & benedictionẽ Sancti in gloria!* Illæ res, quæ sunt propinquiore meo esse, sunt meæ culpæ & mei defectus; & illæ res, quæ sunt remotiores à meis defectibus, sunt tuæ Perfectiones: igitur si ego non possum habere totalem cognitionem de meis culpis
&

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXVII. 145
& defectibus, impossibile est, quod mea anima peccatrix possit eam habere de tuis Perfectionibus.

29. Si mea anima, *Domine*, vult inquirere & percipere statum meorum intestinorum & mearum venarum & medullarum meorum ossium, non tantum inquireret, quod possit perfectè venire ad certam cognitionem illius status: igitur, cum mea anima non sufficiat ad cognoscendum & percipiendum res, quæ sunt in me, & sunt finitæ & corporales, quantò minús sufficiet ad percipiendum illam rem, quæ est tua Essentia infinita & invisibilis?

30. Scire & cognoscere rem inquisitionem in tua Essentia per quintam inquisitionem, *Domine*, non est necessarium hominì in hoc mundo; quia sufficit ei percipere & cognoscere in ipsa id, quod cognoscit per quatuor primas inquisitiones: igitur, sicut homo cæcus omittit quærere res, quas invenire est ei impossibile, ita tuus servus omittit quærere quid sit tua Essentia in se ipsa, licet hoc ignoret; & ista ignorantia

K

tia

146 B. Raym. Lulli Lib. Contempt.
tia est in nostra anima ad gloriam & reve-
rentiam & honorem tuæ excellentis Essen-
tiæ divinæ.

CAPUT CLXXVIII.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat, quòd res, quas vocat qualita-
tes, in DEO sint essentielles & non
accidentales.

I. **O** DEVS misericors, aterne, qui es
a. **O** sine ulla corruptione & alteratione.
Quia omnes res habent principium & fi-
nem præter Te, Domine, qui es sine ullo
principio & sine ullo fine, propterea oportet,
quòd contemplando in tuis qualitati-
bus faciamus differentiam in eis, intelligen-
do aliquas earum esse in Te secundum Te,
& aliquas secundum relationem ad nos;
quoniam per hoc, quòd Tu sis sine prin-
cipio & sine fine, sunt intelligendæ in Te qua-
litates secundum Te, & per hoc, quòd nos
habeamus principiũ & sumus res finitæ, sunt

in-

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXVIII. 147
intelligendæ in Te qualitates secundum nos-
trum principium & nostram finitatem.

2. Unde benedictus sis Tu, *Domine*,
quia qualitates essentielles, quas intelli-
gimus esse in tua Essentia respectu Tui, sunt
Infinitas, Æternitas, Potestas, Sapientia,
Amor, Simplicitas, Bonitas, Perfectio, &
aliæ similes; & qualitates essentielles, quas
percipimus esse in Te respectu nostri, sunt
Creatio, Gratia, Justitia, Misericordia, Do-
minium, Humilitas, Largitas, Magnitudo,
Honoratio, & aliæ similes.

3. Unde quando nos, *Domine*, intel-
ligimus in Te qualitates duobus modis, sci-
licet secundum Te & secundum relationem
ad creaturas, noster intellectus est directus
& sanè intelligit; sed verbum deficit, &
non dat veram significationem; & in quan-
tum verbum deficit, negamus falsam signi-
ficationem ipsius, & confitemur & fatemur
sanam sensum, quem verbum continet, &
propterea dicimus, quòd intellectus intel-
ligat omnes qualitates, quæ sunt in Te, esse
uno modo sinè ullo accidente, & sinè ulla

al-

alteratione, quamvis verbum dicat ipfas esse in Te uno modo respectu tuæ Essentiæ, & alio respectu creaturarum.

4. b. *Æterne Domine, durabilis omni tempore, essentialis ante & post tempus!* Cùm nos inquisiverimus, an Tu sis in esse vel non, & per tuam gratiam & benedictionem certicatè invenerimus Te esse in esse, & hanc certificationem habuerimus per tuam *Infinitatem*, quam percepimus per qualitates finitas, quæ sunt in creaturis, per hoc certò cognoscimus tuam Infinitatem esse in Te qualitatem essentialem; quia, nisi talis esset, oporteret ipsam esse finitam, & per consequens tuam Substantiam non esse infinitam: igitur, cùm invenerimus tuam Substantiam esse infinitam, probatur, quòd sua infinitas sit in Te res essentialis: igitur quoad Te tua Infinitas non est qualitas, imò est substantia; quia omne id, quod est in Te, est Substantia; sed, quia qualitas est res, per quam homo habet cognitionem de nobilitate substantia, propterea verbum *Infinitatem* vocat qualitatem, licèt intellectus intelligat ipsam

ipsam esse substantiam.

5. Nos videmus, & certò scimus, *Domine*, quòd homo habeat vitam rationalem, quæ est melior res, quæ sit in ipso; & per hoc significatur, quòd vita hominis non potuerit provenire nisi à re habente vitam & sapientiam æternaliter & infinite; quia, nisi talem vitam & sapientiam haberet, non esset digna nec potens dare homini vitam adeò nobilem, sicut ei dedit; & quia nulla alia res potest habere vitam & sapientiam æternaliter & infinite nisi Tu, propterea percipimus in tua Essentia vitam & sapientiam, quas verbum dicit esse qualitates essentialia, sed noster intellectus intelligit ipsas esse in Te Substantiam infinite & æternaliter.

6. *O Domine gloriose!* Nos videmus, quòd in mundo sit ordinatio, & videmus, quòd tempus sit in *esse*, & ordinatio mundi & tempus significant se devenisse in *esse* ab aliqua re æterna, quia nec per se nec per rem non æternam potuerunt venire in *esse*: igitur Tu es illa res æterna, quæ eis dedit *esse*,

esse, & tuam Æternitatem verbo nominamus qualitatem essentialem æternam, sed noster intellectus intelligit ipsam esse tuam Substantiam.

7. c. *O Domine, qui in Cruce inclinasti tuum Caput versús nos, qui sumus in terra, ut nos exaltares in cælos!* Cúm Tu sis infinitus & æternus, & habeas vitam & sapientiam æternaliter, significatur in Te esse *Potestatem* infinitam & æternam; quia sinè ipsa non posses esse infinitus & vivus & æternus; & hanc Potestatem verbum dicit esse in Te qualitatem essentialem, ut per hoc intelligat intellectus ipsam esse substantiam potentem infinitam & durabilem & æternam & vivam.

8. *Tuam Scientiam & Sapientiam* percipimus, *Domine*, esse in Te essentialem & non accidentalem; quia, si esset accidentalis, non esset dignum nec rationabile, quòd Tu esses infinitus & æternus & Dominus creaturarum, quoniam defectus esset in Te: igitur, cúm Tu sis perfectus in omnibus rebus, significatur tuam *Scientiam & Sapientiam*

entiam esse in Te rem essentialem, quam verbum vocat qualitatem essentialem ad significandum nobilitatem ipsius; sed noster intellectus intelligit ipsam esse Substantiam, in qua nullum est accidens.

9. *Amor, Domine, est res digna esse in tua divina Essentia; quia, nisi Tu amares Te ipsum, non esses bonus nec perfectus: igitur perfectio, quam nos in Te cognoscimus & percipimus per tuam Infinitatem & Æternitatem & Vitam & Sapientiam & Potestatem, significat, quòd in Te sit amor, quem oportet esse infinitum, æternum & essentialem; quia, si esset accidentalis, significaretur ipsum esse defectuosum; & si talis esset, Tu non esses dignus esse infinitus & æternus; & hunc amorem dicit verbum esse qualitatem essentialem, sed noster intellectus intelligit ipsum esse Substantiam divinam amabilem infinite & æternaliter.*

10. d. *Domine amate, Domine honorate, Domine grate omnibus populis! Tuam Simpliciter intelligimus & percipimus esse qualitatem essentialem; quia Trinitas Personarum,*

sonarum, quæ sunt una Substantia solum, significat ipsam esse essentialem in hoc, quòd tres Personæ significant tuam Substantiam esse infinitam & æternam, ratione cujus infinitatis & æternitatis simplicitas significatur in ea essentialis, quam simplicitatem nostra lingua vocat qualitatem essentialem; sed noster intellectus intelligit ipsam esse substantiam sinè ulla compositione.

11. *Tua Bonitas, Domine*, significatur in Te qualitas essentialis, quia Infinitas & Vita & Æternitas & Potestas & Amor & Sapientia & Simplicitas sunt in Te res valde bonæ & valde gloriosæ & perfectæ, & omnes sunt in Te una Bonitas, una Perfectio & una excellens Substantia, quam necessariò oportet esse bonam, cum tot bona in se habeat, quæ sunt essentialia, cum sint infinita & æterna; & istam tuam Bonitatem dicimus qualitatem essentialem, sed noster intellectus intelligit ipsam esse Substantiam infinitam & æternam.

12. — *Amabilis Domine! Tuam Perfectio-*

nem necessario oportet esse in Te essentialem; quia, si esset accidentalis, tua Substantia non esset infinita & æterna, nec esset bona super omnes bonitates: igitur, cum ipsa sit infinita & æterna, & sit supremum Bonum, per hoc significatur, quod tua Perfectio sit essentialis & non accidentalis, quam Perfectionem dicit verbum qualitatem essentialem, sed in intellectu intelligitur substantia sine ullo defectu.

13. e. *O Domine DEVS, qui defendis ab omnibus malis tuos benevolos! Postquam inquisivimus & invenimus omnes qualitates supradictas esse in Te essentielles & non accidentales, oportet, quod tractemus de qualitatibus, quas intelligimus in Te secundum respectum & relationem ad creaturas.*

14. *Quando homo, Domine, contemplatur in tuis operibus, oportet, quod attribuat & cognoscat Tibi illas qualitates, per quas percipiuntur tua opera, quæ qualitates sunt Creatio & Gratia & Justitia & Misericordia & Dominium & Humilitas & Largitas*

gitas & Magnitudo & Honoratio : unde benedictus sis Tu, *Domine*, quia per istas qualitates oportet, quòd homo contempletur Te in ordine ad tua opera.

15. Sicut oportet, quòd potentia rationalis per suam naturam mortificet potentiam sensitivam, & non sinat eam uti suam malam naturam, ut eam subjiciat bonis operibus, ita similiter oportet, *Domine*, quòd homo mortificet & constringat suum intellectum quantum ad id, quod est ex parte naturæ hominis, & non intelligat qualitates in tuis operibus secundum qualitates, quæ sunt in nostris operibus, imò eas intelligat secundum significationes Perfectionis tuæ Essentiæ; quia, si secundum naturam & modum nostrorum operum intelligeret in Te qualitates, non posset percipere eas esse in Te essentielles, cum qualitates, quæ sunt in nobis, sint accidentales; sed, si eas intelligat secundum tuam naturam & modum, potest percipere esse in Te essentielles, cum quidquid est in Te sit essenziale.

16. f. O Pater misericors, plene dulcedine & pietate! Cùm perceperimus, quòd mundus sit creatus, & habeat Creatorem, & hanc perceptionem habuerimus cognoscendo res intellectuales per sensuales, percipimus, quòd *Creatio* quoad Te sit res essentialis; quia Tu, *Domine*, creasti mundum per magnam perfectionem Bonitatis, quæ est in Te res essentialis: igitur, licet creatio habuerit in mundo principium, tamen non intelligimus, quòd natura & proprietas, secundùm quam tua Perfectio creavit mundum, habuerit in Te principium; & per hoc percipitur, quòd Bonitas, secundùm quam es Creator, non habeat in Te principium, licet creatio habeat principium.

17. Sicut Infinitas & Æternitas sunt in Te, *Domine*, res essentielles, ita creatio creaturarum fuit æternaliter & infinite quoad Te; quia Tu infinite & æternaliter es bonus & potens, & amas creare & facere omne bonum; sed quia creaturæ non sunt dignæ esse æternæ & infinitæ, quoniam,
fi

si tales essent, non essent creaturæ, oportet de necessitate, quòd habeant principium; & propterea quantum ad respectum tuæ Bonitatis percipimus, quòd illa virtus, per quam es Creator, sit in Te res essentialis, licet creaturæ devenerint in *esse* accidentaliter.

18. Igitur, cum principium, quod est in creatione, *Domine*, sit accidentalis qualitas in creaturis per hoc, quòd creaturæ non sint dignæ esse æternæ sine principio, cum eo ipso, quòd sint creaturæ, sint subjectæ principio in hoc, quòd non essent, nisi esset principium; propterea intellectus humanus hoc intelligit multò sanius, quàm verbum significet; quia verbum significat creationem esse in Te qualitatem accidentalem, & intellectus intelligit ipsam quoad Te non habere ullum accidens, cum æternaliter & infinite sis illa res, per quam es Creator, sed creatura quoad se venit accidentaliter in *esse* per hoc, quòd receperit principium.

19. g. *Domine fortis, à quo recipiunt virtutem*

tutem & fortitudinem omnes creature ! Percipimus & intelligimus Gratiam esse in Te rem essentialem quantum ad respectum tuæ Naturæ & tuæ Bonitatis; sed gratiam, quam creaturæ recipiunt à Te, intelligimus esse in eis accidentaliter per hoc, quòd habeant principium, cum ipsæ antequam sint, non possint recipere gratiam, eò quòd non habeant subjectum, in quo eam possint recipere, licet Tu æternalitèr & infinite sis paratus ad dandum eis gratiam; quia, sicut in domo clausa est obscuritas per clausuram ipsius & non per defectum solis, ita quoad Te gratia non est accidentalis in creaturis, sed creaturæ, quia habent principium, & quia quædam earum per suam culpam cadunt in peccatum, & postea per tuam gratiam exeunt ab eo, propterea est in eis gratia accidentaliter in hoc mundo.

20. *Justitiam, quæ est in Te, Domine, percipimus esse in Te rem essentialem & non accidentalem; sed quoad homines percipimus esse accidentalem per hoc, quòd ipsi & sua facta bona & mala habeant principium;*

cipium; quia, sicut bonus Judex est justus antequam facta, quæ judicat, sint in sua potestate, ita Tu, antequam creaturæ essent in *esse*, jam eras justus infinite & æternaliter.

21. Sicut Rex vel Princeps per suam magnam bonitatem est misericors in se ipso, antequam sint, qui *misericordiam* ab eo petant, ita, *Domine*, & adhuc multò meliùs Tu jam eras misericors antequam essent creaturæ, quæ misericordiam à Te recipere; quia æternaliter & infinite est in Te illa natura & illa proprietas & illa bonitas, per quam fuisti & es & eris misericors erga creaturas; sed quia creaturæ habent principium, propterea tua Misericordia est in ipsis accidentaliter in hoc mundo quoad principium ipsarum.

22. h. *O Liberalis Domine, á quo speramus gratiam & benedictionem!* Tuum *Dominiuum* significatur per tuam excellentem Bonitatem esse qualitatem essentialem; quia adeò magna est tua Perfectio, quòd æternaliter & infinite sis Dominus omnium rerum,

rum, quæ non erant antequam essent in *esse*; quia nulla res est in privatione, quæ posset prohibere Te, ne faceres eam venire in *esse*; sicut nulla res est in *esse*, quæ posset impedire Te, ne faceres eam reverti ad privationem: unde istud Dominium, quod habes super creaturas, vocat verbum qualitatem essentialem, & intellectus percipit ipsum esse substantiam, quæ est illa res, per quam Tu es dignus esse Dominus æternaliter & infinitè.

23. Quòd tua *Humilitas* sit in Te qualitas essentialis, *Domine*, significatur per tuam magnam Perfectionem; quia, antequam creaturæ essent in *esse*, Tu jam eras in illa natura & bonitate, ratione cujus Te humiliasti, quando creaturæ fuerunt in *esse*; quoniam, nisi ita esset, non Te humiliasses ad assumendum humanam carnem & ad moriendum pro nobis peccatoribus: igitur, sicut sol habet essentialiter in se splendorem, qui demonstratur accidentaliter animalibus, & participatur ab eis, quando sunt in præsentia ipsius, ita Tu habes &

ha-

habuisti æternaliter & infinite Humilitatem, quæ fuit demonstrata creaturis, quando ipsæ fuerunt in *esse*: igitur si, verbum vocat tuam Humilitatem qualitatem essentialem, intellectus eam intelligit rem substantialem.

24. Nos percipimus, *Domine*, tuam *Largitatem* esse in Te rem essentialem; quia, antequam creaturæ essent in *esse*, Tu eras largus & paratus ad libenter dandum *esse* & gratiam & benedictionem creaturis, quando oporteret ipsas habere *esse*; nam, cum videamus multos Reges & multos homines esse naturaliter largos, & per consequens largitatem esse in eis naturaliter, multò meliùs videtur, quòd ipsa debeat esse in Te essentialiter; & istam Largitatem vocat verbum qualitatem essentialem, sed intellectus eam intelligit esse in Te rem substantialem largam æternaliter & infinite.

25. i. *O Domine complete & perfecte omnibus bonis!* In *Magnitudine*, quam quædam creaturæ habent majorem quàm aliæ, significatur nobis tuam Essentiam esse rem

mag-

magnam, quam magnitudinem percipimus esse tantam, quòd non habeat principium nec finem, imò sit omnino infinita & æterna; & propterea tua Magnitudo est essentialis, & verbum eam vocat qualitatem essentialem, sed intellectus eam intelligit substantiam; sed non dicimus Te esse magnum secundum quantitatem, cum in re æterna & infinita nulla sit quantitas.

26. *Honoratio* & nobilitas, quæ sunt in Te, *Domine*, significant se esse in Te rem essentialem & non accidentalem; quia de tua honoratione & nobilitate est, quòd sis æternus & infinitus: igitur Tu jam eras honoratus & nobilis in Te ipso æternaliter & infinite, antequam creaturæ essent in *esse*; & tua honoratio & nobilitas fuerunt cognitæ in Te à Te ipso, antequam creaturæ essent, & postquam creaturæ fuerunt, fuerunt cognitæ ab eis: igitur licet nostrum verbum nominet tuam honorationem & tuam nobilitatem qualitates, tamen intellectus intelligit ipsas esse rem substantialem, honorabilem & nobilem æternaliter & infinite.

162 B. Raym. Lulli Lib. Contempl. II. V
finite.

27. Tibi, Domine DEVS, sit gloria
& laus; quia, sicut tuæ qualitates sunt in
Te essentialis, & omnes sunt una & eadem
res cum tua Substantia ratione tuæ magnæ
Perfectionis; ita qualitates, quæ sunt in
homine, sunt accidentales & distinctæ à
substantia ipsius hominis ratione defectua-
um, qui in eo sunt.

28. K. Divine Domine, qui es sine pari
& equali. Omnes res, quæ dicuntur in Te
qualitates, sunt una & eadem res, quia tua
Justitia est tua Misericordia, & tua Mise-
ricordia est tua Justitia, & hoc idem est
de omnibus aliis tuis virtutibus; quia quid-
quid est in Te, est tua Substantia divi-
na.

29. Sed quia in mundo, Domine, sunt
multi homines & sua opera sunt diversa,
propterea operaris in eis diversis modis ad
demonstrandum bona, quæ sunt in Te,
quoniam in quibusdam uteris Misericordiâ
& in aliis Justitiâ & sic de aliis virtutibus,
& propterea secundum nos intelligimus in

Te multas qualitates; sed secundum Te non sunt diversæ abinvicem, quia omnes sunt una Substantia infinita, amabilis, æterna, potens, & perfecta.

30. Unde benedictus sis Tu, *Domine*, quia, ut homo possit habere cognitionem de tua Bonitate & possit ipsam laudare, oportet, quòd dicat Te esse potentem & infinitum & æternum & bonum & amabilem & justum & misericordem & perfectum; quia aliter non sufficeret ad cognoscendum & laudandum Te; & propterea homo dicit in Te esse qualitates essentielles, sed intellectus hoc intelligit sanè, licèt qualitas significet accidens ratione accidentium, quæ accidunt creaturis, quorum nullum accidit tuæ gloriosæ Substantiæ divinæ.

CAPUT

QVOMODO HOMO PER SIGNI-
ficationes intellectuales demonstratas & sig-
nificatas per qualitates intellectuales
percipiat & intelligat rationibus
necessariis, quòd in nostro
Domino DEO sit Tri-
nitas Personarum.

1. **O** *DEVS* adiutorium & confortatio
 a. **O** & consolatio & perfectio omnium,
 qui in Te confidunt! Tuæ Virtutes, quas
 verbum vocat qualitates essentielles, & in-
 tellectus intelligit esse unam substantiam,
Domine, significant, quòd in tua Substan-
 tia sint tres Personæ, quæ significatio fit
tribus modis; quia quælibet Persona ha-
 bet suam proprietatem, secundum quam
 significatur per suam propriam qualitatem,
 & quælibet qualitas habet proprietatem &
 naturam dandi significationem de sua Per-
 sona secundum proprietatem ipsius.

2. *Primus* modus trium significationum
 est,

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXIX. 165
est, *Domine*, in hoc, quòd Infinitas & Vita
& Æternitas significant in Te esse tres
Personas; & *secundus* est in hoc, quòd
Potestas & Sapientia & Amor significant
in Te esse tres Personas; & *tertius* est in hoc,
quòd Simplicitas & Gloria & Perfectio sig-
nificant in Te esse tres Personas.

3. Unde benedictus sis, *Domine DE-*
VS; quia, sicut Tu es una Substantia in
tribus Personis, ita in tua Trinitate sunt
qualitates significantes tuas Personas &
sicut Personæ sunt tres, ita significationes
sunt tres, & sicut omnes tres Personæ sunt
una Deitas & una Substantia, ita quælibet
trium significationum est una significatio,
in qua sunt tres significationes: igitur, quia
nostrum verbum non est adeò sufficiens si-
cut intellectus, propterea si in verbo & in
litera est defectus, dirigimur & certificamur
sequendo intellectum, qui sufficit ad nos-
tram directionem perfectiùs quàm verbum
& quàm litera hìc scripta, quæ sensuali-
ter demonstratur oculis corporalibus, ut
contemplantur in Te nostri oculi spiritua-
les

les intellectuales.

4. b. *Singularis Domine, siné pari & socio, simplex siné ulla compositione!* Cúm sensualitates sint infimus gradus, per quem homo ascendit ad supremum gradum intellectualitatum, & cúm nostrum intellectum elevaverimus à sensualitatibus ad intellectualitates per tuam gratiam & benedictionem, necessarium est tuo servo & omnibus, qui per istum modum volent percipere & cognoscere tuam Trinitatem habere suum intellectum elevatum ad res intellectuales, & non permittere ei descendere ad res sensuales; quia aliter non possent invenire & percipere id, quod inquirent in tua Trinitate.

5. *Misericors Domine!* Tu vides, quòd nos in creaturis cognoscamus quantitates majores per minores; quia in sensualitatibus percipimus per minora corpora majoritatem & magnitudinem corporum majorum, & in intellectualitatibus, in quibus est quantitas intellectualis, per res minores in virtutibus vel vitiis percipimus quantita-

tem majorem, quæ est intellectualiter in creaturis habentibus majores virtutes vel majora vitia; & per istam cognitionem, quam habemus de quantitate in creaturis sensualiter & intellectualiter, percipimus magnitudinem creaturarum, & per ipsam percipimus intellectualem Magnitudinem Creatoris, per quam percipimus tuam *Infinitem*, quæ est Magnitudo infinita sine ulla quantitate: igitur, postquam pervenerimus ad istam cognitionem, oportet, quòd in inquisitione, quam facimus de tua Trinitate, recipiamus id, quod infinita Magnitudo significat nostro intellectui de tua divina Essentia.

6. *Virtuose Domine* ! Intellectus hominis de gradu in gradum percipit vitam creaturarum quousque ascendit ad percipiendum vitam Creatoris; quia per vitam animalium irrationalium percipit vitam hominis & nobilitatem ipsius; & per vitam hominis percipit nobilitatem vitæ Angelorum, quæ non est impedita per conjunctionem corporis, sicut vita animæ, quæ est

im-

impedita per conjunctionem corporis corrupti; & per vitam Angelorum percipit tuam *Vitam* esse æternam, infinitam, perfectam & matrem omnium vitarum: igitur, postquam intellectus hominis percipit & contemplatur isto modo tuam *Vitam*, oportet, quòd recipiat significationem, quam ipsa dat de tua *Essentia*, & recipiendo istam significationem percipiet id, quod inquirat de tua *Trinitate*.

7. c. *Æterne Domine, qui es sine ullo principio & sine ullo fine!* Nos percipimus per tempus sensuale tempus intellectuale, quod est in creaturis intellectualibus scilicet in anima & Angelo, qui sunt in tempore, eò quòd receperint principium, & faciant nunc unam rem & postea aliam; & quando noster intellectus ascendit ad tempus intellectuale creaturarum, contemplando se mutat ad tuam *Æternitatem*, quam intelligit durare sine tempore: igitur, postquam intellectus pervenit ad cognoscendum tuam *Æternitatem*, oportet, quòd recipiat id, quod ipsa ei significat de tua *Trinitate*.

8. *Benedicte Domine!* Per potestatem sensualem, quæ est in animalibus, percipimus potestatem intellectualem, quæ est in anima hominis & in Angelo & dæmone, & per istam potestatem significatur nobis tua *Potestas* intellectualis; & postquam noster intellectus ascendit ad cognitionem & perceptionem tuæ mirabilis Potestatis, oportet, quòd recipiat id, quod ipsa ei significat de tua Trinitate.

9. *Misericors Domine!* Per sapientiam sensualem, quæ est in animalibus percipimus, sapientiam intellectualem, quæ est in anima hominis & in Angelo; & postquam noster intellectus ascendit ad cognoscendum istam sapientiam, ultra ascendit ad percipiendum & cognoscendum intellectualem *Sapientiam*, quæ est in Creatore; & postquam eam percepit, ipsa ei revelat & significat & demonstrat, id, quod inquit in tua Substantia de tua Trinitate.

10. d. *O Domine sapiens, misericors, abundans dulcedine & amore!* De amore sensuali, quem videmus in animalibus, nos

mutamus ad cognitionem amoris intellectualis, qui est in homine & Angelo; & cognitio hujus amoris nobis significat & demonstrat tuum gloriosum & gratiosum *Amorem*, à quo omnes creaturæ recipiunt dona & gratias; & postquam noster intellectus contemplando ascendit ad istam cognitionem, tuus Amor ei significat & demonstrat id, quod inquirat in tua Substantia de tua Trinitate.

11. *Honorate Domine!* Per compositionem, quæ est in animalibus, percipimus simplicitatem, quæ est in anima & Angelo; & quando noster intellectus percipit istam simplicitatem, per ipsam ascendit ad cognoscendum *Simplicitatem*, quæ est in tua divina Substantia; & quando hanc simplicitatem cognoscit, ipsa ei significat & demonstrat id, quod inquirat in tua Substantia de tua Trinitate.

12. *Pie Domine!* De gloria sensuali, quam videmus in animalibus, mutamus nos ad cognoscendum gloriam intellectualem, quæ est in anima rationali & Angelo; & quando

quando noster intellectus percipit istam gloriam, ascendit ad percipiendum *Gloriam*, quæ est in suo Creatore; & postquam ipse tuam gloriam percipit, ipsa ei significat & demonstrat id, quod inquirit in tua Deitate de tua Trinitate.

13. e. *Gratiosè Domine, quem amo, & cui servio ex omnibus meis viribus!* Per perfectionem sensualem, quam videmus in animalibus, percipimus in vegetabilibus non esse tantam perfectionem, quanta est in animalibus; & per perfectionem, quam percipimus in homine sensualiter, significatur nobis major perfectio intellectualis, quæ est in animabus & Angelis; & quando noster intellectus percipit istam perfectionem, ipsa ei significat & demonstrat intellectualem *Perfectionem* sui Creatoris, quæ est complementum omnium perfectionum; & postquam noster intellectus recepit cognitionem de tua Perfectione, ipsa ei significat & demonstrat id, quod inquirit de tua Trinitate in tua Unitate.

14. *Tibi, Domine DEVS, sit gloria & laus*

laus semper; quia, qui vult inquirere & invenire veritatem de tua sancta Trinitate per prædictas *novem* qualitates essentielles & intellectuales potest eam percipere, dummodo sciat elevare suum intellectum à significationibus sensualibus ad intellectuales, quousque ipsum in tantum elevaverit, quòd possit recipere significationes intellectuales, quas tuæ qualitates essentielles significant de ipsa tua honorata Trinitate.

15. Qui intrat in inquisitionem tuæ Trinitatis, *Domine*, secundum istam Artem & modum, indiget habere suum intellectum liberum in principio & medio & fine suæ inquisitionis; quia nullus intellectus coactus & constrictus potest percipere & invenire id, quod inquirit: Etiam oportet, *Domine*, quòd homo in inquisitione tuæ Trinitatis habeat cognitionem de rebus sensualibus & de intellectualibus, ut per earum significationes dirigatur suus intellectus, & caveat ne impediatur in rebus intellectualibus per sensuales, quia multò plus impeditur humanus intellectus à rebus

sen-

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXIX. 173
sensualibus, quando non scit sibi cavere ab
eis, quàm dirigatur.

16. f. *O Domine, qui amas, quód meum
cor sit plenum suspiriis & amoribus, & mei
oculi lacrymis & ploratibus!* Quando tuus
servus contemplatur in tua *Magnitudine
infinita*, tua Magnitudo ei significat in tua
Essentia esse aliquam rem, per quam sit ei
proprium, quòd sit infinita; quia, sicut mare
habet aliquam proprietatem in se, per
quam est majus, quàm naves, quæ sunt in
eo, ita necessariò oportet tuam Substan-
tiam habere aliquam proprietatem in se,
per quam sit major, quàm totus mundus;
& ista proprietas, per quam tua Substantia
est major; quàm totus mundus, significatur
in Te per tuam infinitam Magnitudinem,
quæ proprietas in tua Substantia vocatur
Persona.

17. Quando anima tui benevoli, *Do-
mine*, contemplatur in tua *Vita*, tua *Vi-
ta* ei significat in tua Substantia esse ali-
quam proprietatem & naturam, secundúm
quam Tu es res viva; quia sinè proprieta-
te

te & natura vitæ non esses vivus: unde, sicut in homine sapientia & amor & voluntas significant vitam, ita tua Vita significat in tua Substantia esse aliquam proprietatem & naturam, secundum quam es res viva; & ista significatio, quam nobis dat tua Vita, non est illa, quam nobis dat tua infinita Magnitudo; & propterea illa proprietas & natura, secundum quam es res viva, in tua Substantia est Persona, quæ non est illa Persona, quæ in tua Substantia significatur per tuam infinitam Magnitudinem.

18. Quando tuus subditus contemplatur in tua *Æternitate, Domine*, significatur suæ animæ in tua Substantia esse aliquam proprietatem & naturam, secundum quam Tu es æternus; quia sine proprietate & natura æternitatis non posses esse durabilis æternaliter; & ista significatio, quam ei dat tua *Æternitas*, non est aliqua duarum prædictarum, imò est alia significatio significans in tua Substantia aliam Personam scilicet aliam proprietatem & naturam: unde,

quando

quando noster intellectus, *Domine*, recepit istas tres significationes, per quas percepit in tua Substantia tres Personas, tunc recipit propriam significationem nominis cuiuslibet Personarum; quia Persona, quæ significatur per Magnitudinem infinitam, secundum suam significationem significat, quod vocetur Persona Patris; & Persona, quæ significatur per Vitam, secundum suam propriam significationem significat, quod vocetur Persona Filii; & Persona, quæ significatur per Æternitatem, secundum suam propriam significationem significat, quod vocetur Persona sancti Spiritus. *Veruntamen licet dicamus quamlibet Personam habere suam propriam qualitatem, quæ eam significat, tamen dicimus quamlibet qualitatem esse æquè bene in qualibet Persona sicut in aliis.*

19. g. *O Domine digne honorari super omnes honores, & laudari super omnes laudes! Quando mea anima contemplatur in tua divina Potestate, & intelligit Te posse esse infinitum & vivum & æternum, & posse*
om-

omnia facere, tunc tua Potestas ei significat in Te esse aliquam proprietatem & naturam, cujus est tua Potestas; quia, nisi in Te esset proprietas & natura Potestatis, non posses esse nec facere, quod prædictum est; quoniam, sicut corpori humano deficit *esse* infinitum & vivum æternaliter per hoc, quòd non habeat proprietatem nec naturam infinitatis & vitæ æternalis, ita per contrarium sensum significatur in tua Substantia esse aliquam proprietatem & naturam, per quam possis esse infinitus & vivus & æternus & Creator & Benefactor & totus bonus; & per istam proprietatem, quam tua Potestas significat in tua Substantia, significatur Persona Patris secundum proprietatem suæ significationis.

20. *Amorose Domine!* Postquam meus intellectus ascendit ad contemplandum tuam *Sapientiam*, ipsa ei significat in tua Substantia esse aliquam proprietatem & naturam, secundum quam es sciens omnia, & es Ordinator omnium rerum & justus in omnibus rebus; quia nisi in Te esset ista

pro-

proprietas & natura, non esses sapiens nec justus nec ordinator omnium rerum; quoniam sicut homo ratione ignorantia non est sapiens in omnibus rebus, ita per contrarium sensum est Tibi proprium esse sapiens in omnibus rebus, & ratione hujus sapientia scis & ordinas omnia; & istam proprietatem & naturam, quam tua Sapiencia significat in tua Substantia, oportet nominari Personam Filii secundum proprietatem suae propriae significationis.

21. *Honorate Domine!* Quando meus intellectus contemplatur tuum *Amorem*, tuus Amor ei significat aliquam proprietatem & naturam in tua Substantia, secundum quam es Amator Tui ipsius & creaturarum, quia sine tali proprietate & natura non posses esse Amator, sicut lapides & arbores non sunt amatores per hoc, quod careant proprietate & natura amoris; & ista proprietas & natura, quam tuus Amor significat in tua Essentia, est alia ab illis, quae significant Personam Patris, & Filii, & quas significant Potestas & Sapiencia; quia

unam significationem dat Potestas, aliam Sapiencia & aliam Amor; & ista significatio amoris secundum suam propriam significationem significat Personam sancti Spiritus; quia Amor exit à Patre & Filio in ipso.

22. h. *O Domine, qui es complementum & perfectio omnium meorum desideriorum & omnium meorum placitorum!* Quando mea anima contemplatur tuam *Simplicitatem*, significatur ei in tua Substantia esse aliquam proprietatem & naturam, secundum quam est res simplex sine ulla compositione; quia, sicut corpus humanum habet in se proprietatem, per quam recipit compositionem, ita tua Substantia habet in se aliquam rem, per quam est simplex & non recipit compositionem; & ista res, secundum quam Tu es simplex, est simplicitas significans in tua Substantia Personam.

23. *Gloriose Domine amabilis!* Quando meus intellectus contemplatur tuam *Gloriam*, ipsa ei significat in Te esse aliquam rem, quæ est Persona, & non est illa, quæ significatur per simplicitatem; quia Gloria

significat amorem & justitiam & misericordiam & sapientiam uno modo, secundum quem eas non significat Simplicitas naturæ, licet ipsa simplicitas sit valde gloriosa & valde nobilis in tua Substantia; & quia simplicitas significat privationem compositionis, & gloria significat sapientiam & scientiam & amorem & justitiam & misericordiam, propterea percipitur unam Personam significari per simplicitatem & aliam per gloriam in tua Essentia.

24. Quando mea anima, *Domine*, contemplatur tuam *Perfectionem*, significatur ei in Te esse aliquam Personam significatam per tuam Perfectionem; quia perfectio significat rem perfectam non habentem defectum, per quam intelligitur in Te non esse aliquid contrarium perfectioni: igitur, licet omnes tres Personæ divinæ sint perfectæ, tamen secundum propriam significationem Perfectio significat Personam aliter, quam eam significant tua Simplicitas & tua Gloria; sed quia verbum hominis non est ita dignum tractare istas significationes si-

cut intellectus, propterea est necessarium homini se dirigere in tractando ipsas per sanum & bonum intellectum.

25. i. *O Domine, qui revelas & demonstras omnia, quæ Tibi placent!* Sicut quinque sensus corporales habent in homine diversa officia, ita quinque sensus spirituales habent in ipso diversa officia, & ratione diversitatis, quæ est inter prædictos sensus & officia ipsorum, recipit homo diversas significaciones sensualiter & intellectualiter.

26. Nam sicut *Visus* corporalis, *Domine*, facit unum in homine, aliud *Auditus*, aliud *Odoratus*, aliud *Gustus* & aliud *Tactus*; ita in ipso unum facit *Cogitatio*, aliud *Perceptio*, aliud *Conscientia*, aliud *Subtilitas* & aliud *Animositas*; & omnia ista sunt diversa ab invicem, quia omnes sensus sunt diversi ab invicem.

27. Unde, quia nostri sensus spirituales, *Domine*, sunt diversi ab invicem, oportet, quòd tres Personæ, quæ sunt in tua Substantia, significantur ipsis per qualitates essentielles intellectuales, cum sine ipsis non pos-

possent eis significari : igitur, licet tuæ qualitates sint in Te una res, & una qualitas sit alia in hoc, quòd quælibet sit in Te Substantia, & quidquid est in Te, sit una Substantia, tamen secundum respectum ad nos sunt diversæ, ut per significationes earum percipiamus tuam Unitatem & tuam Trinitatem, quas non possemus percipere, quin perciperemus in Te qualitates.

28. K. *O Domine DEVS, qui honoras & amas omnes, qui contemplantur tuas honorationes!* Sicut tuæ qualitates demonstrantur multæ & distinctæ quoad nos, ita quælibet Persona habet aliquas ipsarum, quæ eam nobis significant secundum proprietatem ipsius; quia quædam qualitates nobis significant Paternitatem & aliæ Filiationem & aliæ Processionem, & omnes istæ significationes fiunt, ut nos habeamus cognitionem de Paternitate & Filiatione & Processione, quæ sunt una Substantia divina.

29. Sed, quia humanus intellectus, *Domine*, est obtusus per res sensuales, de quibus tractat plus quàm de intellectualibus,

prop-

propterea homines nescii non sciunt percipere in significationibus tuarum qualitatum tres Personas divinas, nec ipsas significationes possunt percipere ratione debilitatis sui intellectus; quia, sicut oculi corporales sunt debiles ad recipiendum totum splendorem solis, quando directè respiciunt ipsum solem, ita intellectus hominis peccatoris obtusus & impeditus in rebus sensualibus non potest recipere significationes, quas tuæ qualitates intellectuales & essentialia significant de tua Trinitate.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine*, conatur quantum potest ex omnibus suis viribus agere Tibi gratias, quia ei gratiosè dedisti habere cognitionem de tua Trinitate, quæ est probata & demonstrata per veras & necessarias rationes probatas per significationes qualitatum intellectualium & sensualium; quam Trinitatem potest homo percipere per tuam gratiam sequendo significationes, quas tuæ qualitates dant de tribus divinis Personis in tua Substantia divina.

QVOMODO HOMO PER SIGNI-
ficaciones qualitatum intellectualium essen-
tialium percipiat & intelligat rationi-
bus necessariis, quòd tres Personæ
divinæ sint tantum una di-
vina Substantia.

1. **D**EVUS misericors, Pater & Domi-
a. **D**nus omnium bonorum ! Sicut omnes
tuæ qualitates significant in tua gloriosa
Substantia tres Personas, ita significant om-
nes tres Personas esse unam simplicem Sub-
stantiam divinam; & istam significationem
percipit nostra anima, *Domine*, per hoc,
quòd omnes tuæ qualitates sint una res in
Te, licet quoad nos demonstrantur multæ,
ut per ipsas percipiamus tres Personas esse
unam Substantiam.

2. Nam in quantum nos cognoscimus
& percipimus in Te, *Domine*, esse quali-
tates secundum respectum ad nos, perci-
pimus in tua Substantia esse Trinitatem

Per-

Personarum, & Personas esse unam Substantiam, & percipimus omnes qualitates esse illam rem, quæ est in Te Substantia & Personæ.

3. Si tres Personæ divinæ, *Domine*, non essent in Te una Substantia, tuæ qualitates non darent nobis talem significationē, qualem nobis dant de illis; sed tali modo tuæ qualitates significant in tua Substantia Personas, quòd per vim rationis necessariæ intelligamus omnes tres Personas non esse nisi unam Substantiam.

4. b. *O Domine spiritualis, immortalis, potens super omnes nos!* Nostra anima percipit & intelligit tuas tres Personas esse unam Substantiam percipiendo & intelligendo quamlibet tuarum qualitatatum esse omnes alias in Te, & hoc percipit contemplando in eis, sicut contemplando in tua Infinitate percipit secundum honorationem & nobilem naturam ipsius eam esse qualitatem infinitam æternam vivam potentem sapientem amoroſam simplicem gloriosam & perfectam infinite.

Quia tua *Infinitas, Domine*, est quælibet tuarum qualitatatum, quæ sunt distinctæ ab ea secundum nos & non secundum Te, nobis significatur unam Substantiam esse in *esse*, quæ est infinita, viva, æterna, potens, sapiens, amorosa, simplex, gloriosa & perfecta; quoniam si talis Substantia non esset in *esse*, tua *Infinitas* non posset esse æterna nec viva nec potens nec sapiens nec amabilis nec simplex nec gloriosa nec perfecta infinite, imò esset finita & terminata.

6. Igitur, cum tua *Infinitas, Domine*, non posset esse infinita nisi esset unum & idem cum prædictis qualitatibus, & probatum sit Te esse *Infinitem* sive infinitam Magnitudinem, per hoc probatur, quòd sit in *esse* aliqua substantia, in qua sint unum & idem omnes prædictæ qualitates; & per hoc, quòd omnes qualitates sint una Substantia, significatur & probatur, quòd tres Personæ divinæ significatæ per ipsas sint una Substantia; quia si Personæ non essent una Substantia, omnes qualitates

non

non essent unum & idem in Te, & si ita esset, Tu non esses infinitus & æternus & perfectus in tuis qualitatibus: igitur, cùm Tu sis perfectus in omnibus rebus, significatur tres Personas esse unam Substantiam perfectam in omnibus rebus.

7. c. *Virtuose Domine super omnes virtutes, gloriose in omnibus gloriis!* Tua divina *Vita* secundùm suam magnam nobilitatem & honorationem significat se esse *Vitam* infinitam æternam potentem sapientem amorosam simplicem gloriosam & perfectam; quia nisi esset omnia ista, non esset digna esse vita divina, cùm ad *Vitam* divinam pertineant omnia ista.

8. Unde, cùm tua *Vita, Domine*, sit unum & idem cum omnibus qualitatibus prædictis, necessariò oportet, quòd sit *in esse* una substantia, in qua *vita* sit omnes qualitates, & omnes qualitates sint *vita*, quæ Substantia es Tu, qui es una Essentia, in qua est *Vita* infinita æterna potens sapiens amorosa simplex gloriosa & perfecta, quæ est *Vita* omnium *uitarum* & *Gloria* omni-

um gloriarum.

9. Igitur, cum tua Vita, *Domine*, significet & demonstret in tua Substantia Personam, & sit in tua Substantia omnes tuæ qualitates, significatur & probatur, quod tres Personæ significatæ per ipsas qualitates sint una Substantia; quia nisi tres Personæ essent una Substantia, & quælibet esset Substantia per se sine alia, essent tres Dii; & si essent tres Dii, qualitates non significarent Personas modo, quo eas significant, nec ullus illorum Deorum haberet qualitates ita perfectas in se sicut sunt perfectæ in una Substantia divina, quoniam impossibile est esse tres Deos in *esse* infinito æterno & perfecto.

10. d. O *Domine DEVS*, qui es memoria & amor & spes tuorum amatorum! Secundum altam nobilitatem & magnam sanctitatem tuæ *Æternitatis* significatur & demonstratur tuam *Æternitatem* habere naturam Infinitatis & Vitæ & Potestatis & Sapientiæ & Amoris & Simplicitatis & Gloriæ & Perfectionis; quia nisi talem natu-

ram

ram haberet, non esset digna durare æternaliter.

11. Unde, cum tua *Æternitas, Domine*, sit omnes prædictæ qualitates & ipsæ sint tua *Æternitas*, significatur, quòd necessario oporteat esse aliquam substantiam in *esse*, ut æternitas possit esse in substantia unum & idem cum omnibus prædictis qualitatibus, quod non posset esse, nisi esset in *esse* una Substantia, quæ esset æterna infinita viva potens sapiens amorosa simplex gloriosa & perfecta.

12. Igitur benedictus sis Tu, *Domine*, quia per hoc, quòd omnes tuæ qualitates sint unum & idem in tua Substantia, significatur tres Personas divinas esse unam Substantiam; quoniam, si essent tres substantiæ & non una, significaretur, quòd qualitates non essent unum & idem in una Substantia: igitur, cum ipsæ sint unum & idem in una substantia, probatur per has significationes intellectuales, quòd tres Personæ sint una divina Substantia.

13. *e. Honorate Domine, perfecte in omnibus*

ribus bonis! Tua divina *Potestas* significat in se tantam nobilitatem & honorationem secundum suam dignitatem, quod possit habere & habeat infinitatem & vitam & æternitatem & sapientiam & amorem & simplicitatem & gloriam & perfectionem; quia, si aliquam istarum rerum non haberet, non esset divina *Potestas*, cum in se haberet defectum, & divina *Potestas* nullum defectum habere possit.

14. Igitur, cum omnes istæ prædictæ qualitates, *Domine*, sint tua *Potestas*, & tua *Potestas* sit omnes ipsæ, per hoc significatur, quod tres *Personæ* divinæ sint una *Substantia* tantum.

15. Nam, si tres *Personæ* non essent una *Substantia*, *Domine*, tua *Potestas* & omnes aliæ tuæ qualitates non essent una res nec essent una *substantia*; & si ita esset, non significarentur *Personæ* in tua *Substantia* illo modo nec illis significationibus, quibus significantur.

16. f. *Memorator Domine nostrarum afflictionum & nostrarum necessitatum!* Quando

do mea anima contemplatur tuam *Sapientiam*, percipit in ea excellentiam & nobilitatem, per quam ei significatur ipsam esse Substantiam sapientem infinitam vivam æternam potentem amorosam simplicem gloriosam & perfectam.

17. Unde per istam significationem, quam tua *Sapientia, Domine*, dat de se ipsa, significatur ipsam & omnes alias tuas qualitates esse unam rem ita, quòd tua *Sapientia* sit omnes tuæ qualitates, & omnes tuæ qualitates sint tua *Sapientia*; quia nisi ita esset, tuæ qualitates non essent perfectæ; & si ipsæ non essent perfectæ, oporteret esse defectum in tua Substantia.

18. Igitur, cùm tuæ qualitates, *Domine*, sint perfectæ, & tua Substantia sit perfecta, oportet, quòd tuæ qualitates & tua Substantia sint unum & idem; & si ita est, oportet, quòd tres Personæ sint una Substantia; quia, si tres Personæ non essent una Substantia, significaretur, quòd qualitates non essent unum & idem in substantia: igitur, cùm probatum sit qualitates esse unum

&

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXX. 19 f
& idem in substantia, significatur & probatur, quòd tres Personæ sint una Substantia.

19. g. *Excellentissimus Domine, virtuosus & amoro-*
sus! Amorosus & misericors Amor, qui est
in Te, significat de se ipso adeò magnam perfectionem & honorationem, quòd significet nostro intellectui se esse Substantiam amabilem infinitam vivam æternam potentem sapientem simplicem gloriosam & perfectam.

20. Unde, cum tuus Amor & aliæ tuæ Qualitates, *Domine*, sint unum in Substantia, significatur quòd ipse sit omnes tuæ Qualitates & omnes tuæ qualitates sint ipse; quia nisi ita esset, nec tuæ Qualitates essent perfectæ, nec tua Substantia esset perfecta: igitur, cum Tu sis perfectus in Qualitatibus & Substantia, significatur & probatur, quòd, quidquid est in Te qualitas & substantia, sit una Essentia.

21. Igitur per istam unitatem, quæ est in tuis qualitatibus & in tua Substantia, *Domine*, significatur & demonstratur, quòd

tres Personæ significatæ in tua Substantia per ipsas Qualitates sint una Substantia; quia nisi ita esset, impossibile esset, quòd tuæ qualitates significarent Personas modo, quo eas significant in tua Substantia.

22. h. *Misericors Domine, á quo recipiunt solatium & confortationem homines sanctæ vitæ!* Quando mea anima contemplatur tuam *Simplicitatem*, significatur ei tanta honoratio & tanta virtus in ipsa, quòd demonstraretur ei ipsam esse simplicitatem infinitam æternam vivam potentem sapientem amorosam gloriosam & perfectam.

23. Igitur, cùm tua *Simplicitas, Domine*, sit omnes istæ predictæ Qualitates, & omnes ipsæ sint tua *Simplicitas*, significatur, quòd aliquod subjectum sit in *esse*, in quo omnes prædictæ qualitates sint unum & idem, quod subjectum est tua Substantia, quæ est una res habens simplicitatem & infinitatem & æternitatem & vitam & potestatem & sapientiam & benignitatem & gloriam & perfectionem.

24. Cùm tua *Simplicitas, Domine*, sit

unum

unum & idem cum omnibus tuis Qualitatibus ita, quòd una qualitas sit omnes aliæ in substantia, significatur, quòd tres Personæ significatæ per qualitates sint una Substantia divina; quia, nisi ita esset, qualitates, per quas ipsæ significantur, non possent esse unum & idem in una substantia.

25. i. *Invocate Domine ab omnibus populis ! Gloria*, quæ est in Te, significat nostræ animæ tantam virtutem & nobilitatem de se ipsa, quòd nostra anima percipiat ipsam esse gloriam infinitam æternam viventem potentem sapientem amabilem simplicem & perfectam super omnes perfectiones.

26. Unde, quando nostra anima, *Domine*, percipit tuam Gloriam in omnibus istis qualitatibus, percipit ipsam esse omnes istas qualitates & omnes istas qualitates esse ipsam; quia, nisi ita esset, non significaretur tuam Gloriam esse infinitam & æternam habendo omnes alias qualitates.

27. Et, quia tua Gloria, *Domine*, est

unum & idem cum omnibus tuis qualitatibus, oportet omnes tuas qualitates esse unam substantiam gloriosam infinitam æternam potentem sapientem amorosam simplicem & perfectam; quia, nisi ita esset, qualitates non possent esse unum & idem: igitur, cum qualitates sint unum & idem in substantia, propterea significant tuas tres Personas, quæ sunt abinvicem distinctæ, esse unam Substantiam; quia, nisi ita esset, non significarentur illo modo, quo significantur à qualitatibus in Substantia divina.

28. K. *Factor Domine omnium bonorum, in quo non est culpa nec injuria!* Tua Perfectio dat de se ipsa adeò perfectam significationem nostro intellectui, quòd ipse percipiat eam in *esse* infinito æterno vivo potente sapiente amoroso simplici & glorioso; quia, nisi ita esset, ipsa non demonstraretur esse perfecta.

29. Unde per hoc percipit noster intellectus, *Domine*, tuam Perfectionem esse unum & idem cum tua infinitate & æter-

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXX. 195
nitate & cum omnibus aliis tuis qualitatibus, & omnes ipsas esse unum & idem cum tua Perfectione; quia, nisi ita esset, significaretur non esse in *esse* substantiam perfectam in infinitate & æternitate & vita & potestate & sapientia & amore & simplicitate & gloria.

30. Igitur, cùm probatum sit, *Domine*, tuam Substantiam esse in *esse* & esse perfectam in omnibus prædictis qualitatibus, per hoc significatur, quòd tuæ tres Personæ sint una Substantia, quæ significatio intellectualiter intelligitur per significationes tuarum qualitatum, quæ significationes demonstratione intellectuali significant tres Personas in tua Substantia: igitur, sicut tuæ qualitates significant tuam Substantiam esse in tribus Personis, ita significant ipsas tres Personas esse tantum unam excellentem Substantiam divinam.

CAPUT

QVOMODO HOMO PER SIGNI-
ficationes intellectuales demonstratas in di-
vinis Qualitatibus & proprietatibus & in
divina Substantia percipiat & intelligat
tres Personas divinas habere equalem
Virtutem & equalem Bonitatem
& Perfectionem.

1. **O** *JESV* *Christe Domine, in quo est*
 a. **O** *tota nostra salus & tota nostra be-*
neditio! Cùm probaverimus tuam glorio-
sam Substantiam divinam esse in tribus
Personis, oportet, quòd inquiramus, an tres
Personæ sint æquales in virtute & in boni-
tate & perfectione, & hanc inquisitionem
oportet fieri intellectualiter supra sensualit-
tates.

2. Unde benedictus sis, *Domine DE-*
VS, quia hanc inquisitionem oportet fieri
tribus rebus, quæ sunt tuæ Qualitates ef-
sentiales, tuæ tres proprietates, scilicet Pa-
ternitas, Filiatio, & Processio, & tua Sub-
stantia;

tantia; & sicut his tribus rebus facimus inquisitionem, ita facimus eam super æqualitatem trium rerum, scilicet Virtutis, Bonitatis, & Perfectionis in tribus Personis.

3. Cúm inquisitio, quam nos facimus, *Domine*, de æqualitate tuarum personarum, sit facienda in tuis Qualitatibus & in tuis proprietatibus & in tua substantia, necessarium est nobis recipere & sequi significationes istarum trium rerum; quia recipiendo & sequendo ipsas percipiemus æqualitatem, quæ est in tuis Personis in Virtute, Bonitate & Perfectione.

4. b. *Amabilis Domine, propter quem languet meum corpus, & meum cor est in amore!* Quando mea anima contemplatur tuam divinam Paternitatem, percipit, quòd proprium sit ei esse vivam, immortalem, æternam, infinitam, potentem, sapientem, amorosam, simplicem, gloriosam & perfectam: igitur, cúm omnes istæ qualitates sint tuæ Paternitati propriæ, significatur, quòd ipsa sit perfecta sinè ullo defectu in Virtute & Bonitate & Perfectione, qualis non esset,

esset, si aliqua istarum qualitatatum non esset in ea.

5. Cúm Filiationi, quæ est in Te, *Domine*, sit proprium & essenziale esse infinitam, æternam, potentem, sapientem, amoroſam, simplicem, glorioſam & perfectam, significatur, quòd non habeat in se ullum defectum Virtutis nec Bonitatis nec Perfectionis; & cúm ipsa Filiatio habeat istas qualitates æquè proprias, sicut Paternitas, significatur, quòd ipsa & Paternitas sint æquales in Virtute & Bonitate & Perfectione.

6. *Virtuose Domine!* Cúm proprium sit Processioni, quæ est in Te, esse infinitam, æternam, potentem, sapientem, amoroſam, simplicem, glorioſam & perfectam, significatur, quòd omnimoda æqualitas virtutis & bonitatis & perfectionis sit in ipsa & in tua Paternitate & Filiatione; quia, cúm naturæ Processionis sint ita propriæ omnes istæ qualitates, sicut naturæ Paternitatis & Filiationis, demonstratur & significatur, quòd omnes tres habeant æquali-

tatem

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXXI. 199
tatem in Virtute & Bonitate & Perfectio-
ne.

7. c. *Vere Domine, sapiens, juste in omni-
bus rebus!* Adeò magna est propinquitas &
conjunctio & convenientia inter tuas tres
Personas, quòd quantam virtutem & bo-
nitatem & perfectionem habet una, tan-
tam habeant duæ, & quantam habent duæ,
tantam habeat una: igitur quælibet Perso-
na habet per se ipsam omnem virtutem &
bonitatem & perfectionem, & nulla est per-
fectior aliis, nec ulla earum haberet in se
ullam virtutem aut bonitatem aut perfec-
tionem, si alia haberet ullum defectum.

8. Si ita esset, *Domine*, quòd aliqua
Personarum haberet in se perfectiorem in-
finitatem vel æternitatem vel potestatem
vel aliquam aliam qualitatem, quàm aliæ,
significaretur, quòd aliqua earum esset no-
biliores aliis; sed quia omnes qualitates sunt
perfectæ, & sunt unum & idem, & sunt una
substantia, propterea nulla proprietatum
ipsius substantiæ potest esse in majori nobi-
litate, quàm aliæ; & quoniam nulla pro-
prietas

prietas habet majorem nobilitatem, quàm aliæ, nulla Personarum, quæ sunt ipsæ proprietates, potest eam habere majorem, quàm aliæ.

9. Unde benedictæ sint, *Domine*, tuæ tres Personæ, quia omnem virtutem & bonitatem & perfectionem, quam tuæ Qualitates significant de Paternitate, significant de Filiatione & Processione, & omnem virtutem & bonitatem & perfectionem, quam tuæ qualitates significant de Filiatione, significant de Paternitate & Processione; & omnem virtutem & bonitatem & perfectionem, quam tuæ qualitates significant de Processione, significant de Paternitate & Filiatione; & per hoc significatur nostro intellectui, quòd omnes tres Personæ habeant æqualem virtutem & æqualem bonitatem & æqualem perfectionem.

10. d. *Misericors Domine, in quo confidunt omnes peccatores!* Cùm proprietas Personæ Patris significetur per infinitatem & potestatem & simplicitatem, & proprietas Personæ Filii significetur per vitam & sapientiam

entiam & gloriam, & proprietates Personæ sancti Spiritus significetur per æternitatem & amorem & perfectionem, significatur & demonstratur quamlibet Personam habere suas proprias qualitates, quæ significant proprietatem ipsius, ut nos percipiamus & cognoscamus proprietates & Personas, quæ sunt in tua Substantia.

II. *Gratiosè Domine!* Licet quælibet trium Personarum habeat qualitates proprias, quæ nobis significant proprietatem ipsius, tamen nulla qualitas est magis propria unius Personæ, quàm alterius; quia quælibet qualitatium sunt æqualiter unum & idem cum quilibet Personarum, cum in tua Substantia omnes qualitates sint una qualitas, & quælibet sit omnes, licet nulla trium Personarum sit alia: igitur per hoc, quòd qualitates secundum veritatem non sint diversæ abinvicem, sunt omnes unum & idem in substantia, licet, ut possint nobis significare Personas in ipsa substantia, quædam secundum nos melius significant unam Personam, quàm aliam.

12. Quoad

12. Quoad Te, *Domine*, qualitates, quæ nobis significant Personam Patris, æquè bene sunt unum & idem cum Persona Filii & sancti Spiritus, sicut cum Persona Patris; & qualitates, quæ nobis significant Personam Filii, sunt æquè bene unum & idem cum Persona Patris & sancti Spiritus, sicut cum Persona Filii; & qualitates, quæ nobis significant Personam sancti Spiritus, sunt æquè bene unum & idem cum Persona Patris & Filii, sicut cum Persona sancti Spiritus: igitur unitas qualitatum est unum & idem cum Personis; sed quia ipsæ qualitates sunt distinctæ quoad nos, propterea quælibet Persona habet aliquas ipsarum proprias, per quas significetur nobis; & quia ipsæ quoad Te sunt unum & idem, propterea omnes simul significant æqualem virtutem & bonitatem & perfectionem in Personis.

13. e. *Domine amande, Domine timende, Domine desiderande!* Tu scis, quòd proprietas Patris sit Paternitas, & proprietas Filii sit Filiatio, & proprietas sancti Spiritus

tus

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXXI. 203
tus sit Processio ; & quòd , quantam virtu-
tem & bonitatem & perfectionem Paterni-
tas significat de se ipsa , tantam significet
de Filiatione & Processione ; & quantam
virtutem & bonitatem & perfectionem Fi-
liatio significat de se ipsa , tantam signifi-
cet de Paternitate & Processione ; & quan-
tam virtutem & bonitatem & perfectionem
Processio significat de se ipsa , tantam sig-
nificet de Paternitate & Filiatione.

14. Nam , nisi Filio esset propria Fi-
liatio & sancto Spiritui Processio , *Domine* ,
Patri non esset propria Paternitas ; & nisi
Patri esset propria Paternitas , Filio non
esset propria Filiatione nec sancto Spiritui
Processio ; & nisi sancto Spiritui esset pro-
pria Processio , non esset Patri propria Pa-
ternitas nec Filio Filiatione ; quia nulla Per-
sonarum posset habere aliquid in se ipsa sine
proprietate aliarum ; & hoc est per hoc ,
quòd omnes tres Personæ sint una Substan-
tia divina , quæ non posset esse , quin in
ea essent Paternitas & Filiatione & Proces-
sio.

15. Quia

15. Quia Persona Patris non posset esse, *Domine*, sinè proprietate Filii & sancti Spiritus, nec Persona Filii sinè proprietate Patris & sancti Spiritus, nec Persona sancti Spiritus sinè proprietate Patris & Filii, significatur, quòd nulla trium Personarum possit habere majorem virtutem nec bonitatem nec perfectionem, quàm aliæ; sed, si aliqua ipsarum posset esse sinè aliis, significaretur, quòd aliqua posset habere majorem virtutem vel bonitatem vel perfectionem, quàm aliæ.

16. f. *Juste Domine, verax in omnibus tuis operibus!* Si aliqua trium Personarum non esset in Te, nullæ aliæ essent; quia, nisi esset Paternitas, non esset Filiatio; & nisi esset Filiatio, non esset Persona Filii; & nisi esset Processio, non esset Persona sancti Spiritus, & nisi esset Persona sancti Spiritus, non esset, qui reciperet Processionem à Patre & Filio; & nisi esset, qui reciperet Processionem à Patre & Filio, non essent Pater & Filius, cùm proprietates Patris & Filii sit, quòd sanctus Spiritus reci-

piat

piat Proceffionem ab eis.

17. Igitur, cùm ita fit, *Domine*, quòd Persona Filii non poffet effe finè Persona Patris & fancti Spiritus, per hoc significatur & percipitur, quòd Filius fit æqualis virtutis & bonitatis & perfectionis cum Patre & fancto Spiritu; quia, nifi ita effet, vel Pater & fanctus Spiritus poffent effe fine Filio, vel Filius poffet effe finè ipsis.

18. Unde benedictus fis, *Domine DEVS*; quia, ficut Filio eft proprium, quòd fit virtuosus & bonus & perfectus ratione Filiationis, ita eft ei proprium, quòd fit virtuosus & bonus & perfectus ratione Paternitatis Patris & Proceffionis fancti Spiritus; quoniam, ficut anima hominis eft æqualiter virtuofofa & bona & perfecta per memorare ficut per intelligere & velle, & per intelligere ficut per memorare & velle, & per velle ficut per memorare & intelligere; ita & adhuc multò meliùs tua divina Subftantia eft æqualiter virtuofofa & bona & perfecta per Paternitatem & Filiationem & Proceffionem.

19. g. O Domine, qui dirigis Beatos, ut veniant in Gloriam! Nisi essent Pater & Filius, non posset esse sanctus Spiritus; quia sanctus Spiritus nihil aliud est, quàm Processio exiens à Patre & Filio: igitur, nisi essent Paternitas & Filiatio, non posset esse Processio, quia non esset unde exiret.

20. Unde sicut Processio, Domine, nihil aliud est, quàm exitus à Paternitate & Filiatione, ita Paternitas nihil aliud est, quàm Generatio Filiationis & Datio Processionis, & Filiatio nihil aliud est, quàm receptio Generationis & datio Processionis; & per hoc significatur, quòd omnes tres proprietates habeant æqualem virtutem & bonitatem & perfectionem.

21. In hoc, quòd in tua Paternitate & Filiatione & Processione, Domine, non sit quantitas nec tempus, imò quidquid est in eis sit infinitas & æternitas & sanctitas, significatur, quòd nulla earum sit nobilior nec melior aliis; quia, si una esset melior aliis, necessariò oporteret, quòd in eis esset prioritas temporis & quantitatis, cùm sinè istis

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXXI. 207
qualitatibus nulla res possit esse nec intel-
ligi melior aliâ.

22. h. *O Domine, qui es melior & nobi-
lior Dominus, qui possit esse!* In tua glorio-
sa Substantia significatur, quòd sit æqualis
virtus & æqualis bonitas & æqualis perfec-
tio cum tuis qualitatibus & cum tuis pro-
prietatibus; quia substantia & qualitates &
proprietates significantur & demonstrantur
in omni nobilitate & excellentia.

23. Igitur, cùm tua gloriosa Substan-
tia, *Domine*, & tuæ gloriôsæ qualitates &
tuæ gloriôsæ proprietates demonstrantur
æquales in virtute & bonitate & perfec-
tione, per hoc significatur tuo seruo & om-
nibus, qui libenter Tibi ferviunt, omnes
tres Personas esse æquales in gloria & ho-
noratione & in omnibus bonis.

24. Si non esset tua virtuosa Substan-
tia, *Domine*, non essent tuæ qualitates nec
tuæ proprietates, quia qualitates non ha-
berent, in quo essent unum & idem, nec
proprietates haberent, in quo essent una
Deitas; & si tua Substantia non esset, non
esset

effet id, quod vocamus in Te qualitates, & si non essent in Te tuæ proprietates, tua Substantia non esset; & quia nulla istarum rerum posset esse finè aliis, significatur, quòd omnes tres Personæ sint æquales in omni perfectione: benedictæ sint ipsæ & benedicta sit sua æqualitas.

25. i. *O Domine, potens super omnes vires, gloriose in omnibus gloriis!* Tua Substantia est adeò virtuosa & bona & perfecta in se per unam qualitatem sicut per omnes, & per omnes sicut per unam; & hoc est, quia omnes tuæ qualitates sunt unum & idem, ita quòd una sit omnes, & omnes sint una.

26. *Honorate Domine!* Tua Substantia est adeò virtuosa & bona & perfecta in se per unam proprietatem sicut per duas & per tres, & est adeò perfecta per duas sicut per unam & per tres, & est adeò perfecta per tres sicut per duas & per unam, & hoc est, quia tua Substantia est perfecta per quamlibet proprietatum & per omnes proprietates; eò quòd sua perfectio non posset

posset esse nisi per quamlibet proprietatum
& per unionem omnium trium in Substan-
tia.

27. In æquali nobilitate est, *Domine*,
tua Substantia per unitatem Essentiæ sicut
per Trinitatem Personarum, & in æquali
bonitate est per Trinitatem Personarum si-
cut per suam unitatem; & tres Personæ sunt
in æquali bonitate per se ipsas sicut per
Substantiam, & in æquali bonitate sunt per
Substantiam sicut per suam Trinitatem; &
per hoc significatur, quòd omnes tres Per-
sonæ habeant æqualem virtutem & boni-
tatem & perfectionem.

28. K. *Misericors Domine, plene dulcedine
& pietate!* Cùm æqualitatem, quæ est in
tuis Personis, inquisiverimus significationi-
bus intellectualibus & inquisitione intellec-
tuali, & per gratiam & adiutorium Tui in-
venerimus tuas Personas habere æqualem
virtutem & bonitatem & perfectionem, ra-
tionabile est, quòd æqualiter oremus &
amemus & revereamur & honoremus &
laudemus ipsas.

O

29. Cùm

29. Cúm infideles, *Domine*, sciant, quòd nos oremus & credamus tuam sanctam Trinitatem, inquirunt æqualitatem tuarum Personarum sensualiter & secundúm cursum naturæ creatæ; & quia non possunt eam invenire, discredunt ipsam Trinitatem; sed si ipsi facerent suam inquisitionem intellectualiter & secundúm naturam increatam, & reciperent significaciones tuarum qualitatium & tuarum proprietatum & tuæ Substantiæ, perciperent omnes tres Personas esse æquales in virtute & bonitate & perfectione.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine*, intravit valde timidè in periculofam inquisitionem tuæ sanctæ Trinitatis & tuæ sanctæ Unitatis; sed quia ipse in eam intravit confidendo in tuo adjutorio & cum intentione laudandi & benedicendi Te, placuit Tibi eum juvare & custodire & salvare & liberare à periculo, ut valde lætus & satisfactus & valde firmus & Catholicus in sancta Fide Romana perveniret ad finem, ad quem pervenit per gratiam & benedictionem

CAPUT CLXXXII.

QVOMODO HOMO IN SIGNIFI-
cationibus intellectuibus divinarum qua-
litatum essentialium percipiat & intelli-
gat, quænam sint opera nostri
Domini DEI.

1. **D**EVUS magne, mirabilis, cui sit glo-
ria & laus & benedictio! Sicut tuæ
qualitates significant, quòd Persona Patris
fit una & Persona Filii alia & Persona
sancti Spiritus alia; ita, Domine, ipsæ signifi-
cant nostræ animæ, quænam sint tua opera,
& quænam sint opera, quæ non sunt tua,
quia non sunt digna esse à Te ratione mag-
næ vilitatis, quæ est in eis.

2. Qui dubitant in aliquibus operibus,
an sint facta & volita à Te, Domine, an ve-
rò ab alio, si volunt exire à suo dubio, re-
cipiant significationes, quas tuæ qualitates
dant de tua Bonitate; quia per eas pote-
runt

212 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
runt percipere, quænam sint tua opera, &
quænam sint opera, quæ non sunt digna
esse tua.

3. Quia qualitates, quæ sunt in Te,
Domine, respectu nostri sunt multæ, & sig-
nificationes earum sunt multæ, oportet,
quòd accipiamus aliquas tantùm & signifi-
cationes ipsarum, quia non sufficeremus ad
recipiendum eas omnes; & quia *Infinitas*,
Vita, *Æternitas*, *Potestas*, *Sapientia*, *Amor*,
Simplicitas, *Bonitas* & *Perfectio* sufficiunt
ad significandum nobis tua opera, propte-
rea non faciemus inquisitionem nisi cum
significationibus earum.

4. b. *O Domine sapiens, virtuose, gratiose,*
amorose: In tua sancta *Infinite* significatur
nostro intellectui Te esse daturum homini-
bus justis gloriam, quæ nunquam habebit
finem; quia natura & proprietas tuæ *Infini-*
tatis hoc significat, quoniam si gloria, quam
eis dabis, esset finita, significaretur tuam
Essentiam esse finitam.

5. Igitur omnia illa opera, quæ signifi-
cant occasionem, per quam homo sit dig-
nus

nus possidere gloriam finè fine, significantur, *Domine*, esse tua opera, quia ea voluisti, & fecisti ad dandum homini viam & modum & directionem, ut mereatur perdurabilem gloriam.

6. *Honorate Domine!* Sicut tua opera significantur per tuam Infinitatem, ita opera hominum significantur per finitatem ipsorum; quia, quidquid ipsi faciunt intuitu possidendi gloriam & felicitatem in hac præsenti vita finita obliviscendo gloriam infinitam, est peccatum, quod significat poenam infinitam in igne perdurabili: Igitur quidquid est hominibus occasio perdendi gloriam infinitam & sustinendi tormenta poenæ infinitæ, significatur esse culpa & peccatum, quæ significant se non esse tua opera nec esse volita & amata in tua Essentia.

7. c. *O Domine DEVS, qui es aspectus meorum oculorum & perfectio omnis meæ spei!* Tua gloriosa *Vita* significat quænam sint tua opera & quænam non sint digna esse tua opera; quia proprium & naturale est
tuæ

tua Vitæ dare homini directionem & sapientiam & cognitionem & vitam perdurabilem: igitur omnia, quæ sunt homini directio & illuminatio, ut habeat vitam perdurabilem, & ne cadat in mortem perdurabilem, significantur esse tua opera & non alterius.

8. Unde benedicta sit, *Domine*, tua Vita, quæ operatur in homine omnes virtutes & directiones, quæ sunt in eo, ne sit ignarus & ingratus & culpabilis, imò habeat sapientiam & modum, per quem eat ad vivendum in tua Gloria perdurabili: igitur secundum significationes, quas noster intellectus recipit à tua Vita, demonstrantur ei, quænam sint tua opera.

9. *Gloriose Domine!* Omnia illa, quæ privant in homine sapientiam & cognitionem & justitiam & misericordiam & alias virtutes, & faciunt eum falsum & malum & vitiosum, significantur non esse tua opera: igitur sicut tua Vita significat quænam sint tua opera, ita, quæ significant mortem, significantur non esse tua opera, sed esse

esse opera peccati.

10. d. *O Domine vere DEVS, in quo vigilant & pernoctant mei amores & meæ cogitationes! Tua Æternitas significat nostro intellectui, quænam sint volita & amata à Te, quia ipsa ratione suæ magnæ perfectionis fecit hunc mundum intuitu alterius, in quo homo durabit perdurabiliter.*

11. Igitur causa finalis, propter quam creasti hominem, *Domine*, est, ut perdurabiliter sit laudator & cognitor tuæ altæ Nobilitatis; & propterea tua Æternitas significat quænam sint tua opera & quænam non; quia tua opera semper significant, quòd homo sit factus ad perdurabiliter cognoscendum tuam sanctam Æternitatem.

12. Unde, sicut tua opera, *Domine*, significant, quòd homo debeat laudare & glorificare tuam Essentiam plús, quàm omnia, ita opera, quæ faciunt, quòd aliud laudetur & ametur plús, quàm Tu, significant de se ipsis, quòd non sint opera volita nec amata à Te: igitur per hoc significatur, quòd corruptio & inordinatio, quæ est in
ho-

homine, non sit occasionata à tua *Æternitate* sed à culpa & peccato ipsius, ratione cuius eum punis corruptibilitate & mortalitate.

13. e. *O Domine DEVS*, qui scis super omnes scientias, & vis super omnes voluntates! Tua *Potestas* ratione suæ magnæ perfectionis significat, quænam sint tua opera; quia per hoc, quòd ipsa sit perfecta, significatur tua opera esse perfecta: igitur tua *Potestas* significat, quòd Tu creaveris mundum ex nihilo, & sustineas ipsum in *esse*, & des *esse*, quibus vis, & privès omnia suo *esse*, quæ vis; quia nisi ita esset, significaretur, quòd tua *Potestas* non esset perfecta: igitur, cum ipsa sit perfecta, significatur omnia prædicta esse tua opera.

14. Aliqua sunt, *Domine*, quæ significant homini naturam non posse cogi & constringi nec turbari in suo cursu ab ulla potestate; & aliqua sunt, quæ ei significant mundum esse æternum, & non posse esse creatum de nihilo: igitur omnia ista non sunt tua opera, quia dant falsam significacionem;

tionem; quoniam nulla res dans homini falsam significationem venit à Te, sed ab ipso homine ratione culpæ & peccati ipsius, cum quidquid significet defectum in tua Potestate, venerit à culpa & peccato.

15. Illa, quæ significant Te non posse facere injuriam & obliquitatem nec culpam & peccatum, *Domine*, significantur esse tua opera, quia significant veritatem de tua perfecta Potestate; sed illa, quæ significant Te posse prædicta facere, significantur non esse tua opera, quia Tu non facis quidquam significans defectum in tua Potestate; & propterea falsæ significationes nunquam fiunt à Te, & veræ significationes semper sunt opera, quæ Tu creasti & fecisti.

16. f. *Singularis Domine, qui es occasio & ratio omnium nostrarum beatitudinum!* Tua magna *Sapientia* significat, quænam sint tua opera & quænam non; quia ipsa significat, quòd Tu sapienter creaveris & ordinaveris omnes creaturas, sed inordinationes, quæ sunt in homine, dant contrarias significationes de tua *Sapientia*: igitur, cum Tu non
facias

facias quidquam contra tuam Sapientiam, per hoc significatur, quòd prædictæ inordinationes non sint opera volita & amata à Te.

17. Illæ significationes, quæ significant, *Domine*, creaturas non esse creatas & factas à Te sapienter, veniunt ex inordinatione, quæ non devenit in *esse* per tuam Voluntatem, imò devenit accidentaliter per inordinationem, in quam cecidit homo per culpam & peccatum.

18. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia tuus servus & tuus laudator affirmat & confitetur corde & ore, quòd omnes significationes, quæ homini significant & demonstrant perfectionem in tua Sapientia, sint operatæ & ordinatæ & volitæ à Te, & omnes significationes, quæ homini significant & demonstrant defectum in tua Sapientia, affirmat & confitetur, quòd non sint operatæ & ordinatæ & volitæ à Te; quia Tu nihil facis, quod det de tua Sapientia falsam significationem.

19. g. *Sanctificate Domine, nobilis super omnes*

omnes honorationes! Tuus gloriosus *Amor* dat significationem de omnibus operibus, quæ à Te sunt operata & facta; quia Tu non amas nisi res nobiles veras virtuosas ordinatas & mundas à peccato: Igitur omnia, in quibus sunt istæ qualitates, significantur esse tua opera, & omnia, in quibus ipsæ non sunt, significantur esse opera, quæ non sunt digna amari à Te.

20. *Amorose Domine!* Illæ significationes, quæ significant Te esse Amatorem peccatorum & culparum & defectuum, significant se non esse volitas à tua Voluntate, quia non sunt dignæ amari ab ipsa, cum tuus Amor non significet in se id, quod in eo non est; & per hoc significatur, quòd falsæ significationes ceciderint in hominem per peccatum & inordinationem ipsius.

21. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, qui vult percipere quænam sint tua opera, recipiat veras significationes, quas tuus Amor dat; quoniam quidquid ipse significat, est vera significatio indicans, quænam res sint in creaturis

ris

ris tuum opus; & nulla res, quæ sit contra significationem tui Amoris, potest esse tuum opus, quia non potest amari à Te; & quidquid non amatur à Te, est res, quæ accidentaliter venit per culpam & peccatum.

22. h. *Invocate Domine ab omnibus populis!* Tua simplex Natura significat nostro intellectui quænam sint tua opera & quænam non; quia tua *Simplicitas* significat Te non esse in substantia nec in operibus mobilem nec alterabilem nec mutabilem, imò esse firmum & durabilem finè ulla alteratione.

23. Homo, *Domine*, quoad suam substantiam significat se esse creatum & factum à tua simplici Natura inalterabili & incommutabili, sed defectus, qui sunt in eo, & qui falso significant tuam Voluntatem esse alteratam & tuam substantiam non esse simplicem per hoc, quòd in ea sint tres Personæ, dant falsas significationes, per quas significant, quòd non amentur à Te, nec venerint à Te, imò venerint à culpa

&

& peccato ipsius hominis.

24. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, sicut corpus est subjectum ad recipiendum diversos colores, ita homo est subjectus ad recipiendum veras & falsas significationes de tuis operibus; sed veræ significationes & receptio ipsarum veniunt à Te, & sunt tuum opus; falsæ autem & receptio earum non veniunt à Te, nec sunt tuum opus, imò veniunt accidentaliter per opus peccati & per inordinationem, in quam homo cecidit per culpam.

25. i. *Æterne Domine siné fine & principio!* Tua excellens *Bonitas* significat, quænam sint tua opera & quænam non; quia rationabile est, quòd bona opera veniant à perfecta Bonitate, & per hoc significatur, quòd omne bonum venerit & veniat à supremo Bono; sed quod non est bonum, non potest venire à re, in qua est perfecta Bonitas, quia, si ab ea veniret, esset bonum; & per hoc significatur, quòd res mala & vitiosa non veniat à Bonitate, imò veniat à re, in qua est privatio bonitatis.

26. Peccatum & culpa & defectus & inordinatio, *Domine*, significant, quòd veniant ab alia re, quæ non est tua Bonitas; quia si venirent à tua Bonitate, non essent ei contrariæ, nec essent illius naturæ, cujus sunt, imò essent res virtuosæ & ordinatæ & carentes peccato & culpâ.

27. Qui dubitat, an aliqua res venerit à Te, *Domine*, recipiat veras significationes ipsius & significationes tuæ Bonitatis, & conferat utrasque significationes, & sic poterit cognoscere, an illa res sit tuum opus; quia si ipsa sit tuum opus, suæ significationes concordabunt cum significationibus tuæ Bonitatis; sed si ipsa sit res mala & corrupta per peccatum, & per consequens non sit tuum opus, suæ significationes non concordabunt cum significationibus tuæ Bonitatis.

29. K. *Domine misericors, à quo speramus dona & indulgentias!* Tua gloriosa *Perfectio* significat nostro intellectui quænam res venerint à Te & quænam non; quia ipsa dat per-

perfectionem omnibus rebus; & est impossi-
bile, quòd ab ea veniat ullus defectus; quo-
niam, si ab ea veniret defectus, sequeretur,
quòd ipsa non esset perfecta in virtute, imò
esset defectuosa.

29. Igitur propterea defectus, qui sunt
in homine peccatore vitioso & culpabili, *Do-
mine*, significant se non venire à Te; quia
si à Te venirent, Tu non esses perfectus,
cúm non significetur, quòd à perfectione
veniant culpæ & peccata, imò significetur,
quòd ab ea veniant virtutes & directiones
& ordinationes; quoniam, sicut est proprium
& naturale, quòd ab igne veniant calor &
splendor, ita & adhuc multò meliùs est pro-
prium & naturale, quòd à perfectione ve-
niant virtutes, & à defectu vitia & culpæ
& obliquitates.

30. Unde benedictus sis, *Domine*, quia
aspiciendo significationes tuæ perfectionis, &
significationes rerum, quas homo inquirit,
percipit homo, dummodo habeat suum in-
tellectum directum, quænam res venerint
à tua Perfectione & quænam non venerint
nisi

224' *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nisi à privatione Perfectionis; sed quia ho-
mines nescii non sciunt aspicere nec reci-
pere prædictas significationes, propterea non
sciunt percipere, quænam res venerint à
tua Perfectione, & quænam à defectibus
hominum ratione culparum & peccatorum,
quæ sunt res displicentes nostro Domino
DEO.

CAPUT CLXXXIII.

*QVOMODO HOMO PER SIGNI-
ficationes divinarum Qualitatum percipiat
& intelligat peccatum Adami esse ge-
nerale in humana specie.*

1. **O** *DEVS* pie, qui memor es omnium
a. **O** *in Te confidentium & Te invocan-
tium!* In significationibus, quas tuæ Qualita-
tes dant nostro intellectui, Domine, quando
nostræ intellectualitates non impediuntur à
sensualitatibus, percipimus, quòd peccatum
nostri Patris Adami sit generaliter super
omnes nos.

2. Licèt

2. Licet per multas qualitates significetur, *Domine*, peccatum Adami esse generaliter super omnes nos, tamen per solas octo tuarum qualitatatum volumus hoc significare & demonstrare, quia istæ dant veriores significationes, quàm ullæ aliæ, & sunt *Justitia, Misericordia, Sapientia, Amor, Bonitas, Perfectio, Largitas & Humilitas*; quoniam recipiendo significationes harum qualitatatum percipit homo peccatum primi Parentis esse generale.

3. Unde, qui vult intrare in hanc inquisitionem & percipere, quomodo peccatum primi Parentis sit generale, *Domine*, necessarium est ei dirigere suum intellectum, & ipsum ordinare ad recipiendum significationes tuarum qualitatatum, ut intellectualiter percipiat & intelligat veritatem, quam inquit; quia, si suus intellectus non esset directus & esset impeditus à rebus sensualibus, esset ei impossibile recipere prædictas significationes; & si non sciret eas recipere, non posset percipere nec invenire, quomodo peccatum Adami sit generale.

P

4. b.

4. b. O Domine, à quo mei amores & mea desideria non se volunt nec possunt separare! Quilibet homo sentit in suamet natura passionem caloris & frigoris, famis & sitis, infirmitatis & multorum languorum, & nemo est, qui omnes istas passiones non sentiat in semetipso secundum cursum naturæ.

5. Unde, cum homo, Domine, naturaliter habeat passionem, à qua non potest se defendere, significatur, quod ista passio non sit in homine sine causa; quia, si esset in eo sine causa, significaretur, quod Tu, non esses *justus*, cum sine causa torqueres, tuam creaturam: igitur, cum Tu, Domine, sis justus, significatur, quod homo sit culpabilis, & culpa sit ei causa suæ passionis; & cum ipse à sua nativitate usque ad mortem habeat passionem, significatur, quod sua culpa veniat à culpa primi Parentis.

6. Nos videmus, Domine, quod homo sit melior creatura, quæ sit, & videmus, quod ipse per peccatum fiat peior creatura, quæ sit: igitur, cum homo per culpam fiat

pejor creatura, significatur, quòd, sicuti tota species humana fuit nobilitata in Adamo per gratiam, ita in ipso fuerit vilificata per culpam; quia nisi ita esset, Tu non esses justus, quoniam sinè causa privares humanam speciem illâ nobilitate, in qua eam posuisti & exaltasti in primo Parente: igitur, cùm Tu sis justus, significatur, quòd peccatum Adami sit super totam humanam speciem.

7. c. *Gratiosè Domine, á quo die & nocte speramus gratiam & benedictionem! Si peccatum Adami non esset generale, omnes homines, qui putant se habere veram legem, salvarentur; quia dummodo putarent credere veritatem, & putarent Tibi servire in sua credentia, Tu non haberes causam damnandi eos; & si in quacunque lege homo salvaretur, Tu non esses justus Tibimet, quia homines credendo falsitatem venirent ad Te, qui es Veritas: igitur, cùm Tu sis justus Dominus & secundùm tuam magnam Justitiam significetur, quòd nullus homo credens falsitatem in Te sit dignus venire*
ad

ad Te, qui es Veritas, per hoc significatur; quòd peccatum Adami sit generale, ut Tu habeas causam dandi salvationem solis illis, qui credendo veritatem participant tuam Redemptionem.

8. Si peccatum Adami, *Domine*, non esset generale, Tu non habuisses causam assumendi humanam naturam & faciendi Te hominem; & si Tu non esses homo, non possent homines corporaliter glorificari in gloria ita bene sicut per hoc, quòd sis homo: igitur, cum Tu sis justus erga homines, significatur, quòd ipsi glorificabuntur in Te corporaliter videndo & audiendo tuam humanam naturam: igitur, ut Tu haberes causam essendi homo & essendi justus erga homines, significatur, quòd peccatum Adami sit generale.

9. Quando nos dicimus, *Domine*, quòd peccatum Adami oportuerit esse generale, ut Tu haberes causam essendi Homo & recreandi homines corruptos & privatos tuâ gratiâ per peccatum, non per hoc dicimus, quòd Adamus peccaverit constrictè & coactè,

actè, imò dicimus, quòd peccaverit sinè ulla coactione per suam liberam voluntatem; quia si peccasset coactè & constrictè, sua culpa non esset adeò magna, quòd posset esse generalis toti humanæ speciei.

10. d. *O Domine, qui es perfectio meorum complementorum, & memoria meorum necessitatum!* Magna perfectio tuæ *Misericordie* significat, quòd peccatum Adami sit generale; quia nisi ipsum esset generale, non significaretur homini adeò magna tua dulcis *Misericordia*, quoniam tunc non assumpfisses humanam carnem, nec mortuus fuisses ad recreandum ipsum: igitur, ut meliùs demonstretur tua magna *Misericordia* per *Incarnationem & Recreationem*, significatur, quòd peccatum Adami sit generale.

11. Major *misericordia*, quæ possit homini fieri, *Domine*, fit ei recreando ipsum cum *Humanitate* unita cum *Deitate*; quia major *misericordia* non potest esse in *Domino*, quàm dando se ipsum paupertati & tormentis & morti pro suo populo: igitur, ut hæc *suprema Misericordia* significaretur
in

in Te, peccatum originale fuit generale; quoniam, nisi tale esset, Tu non esses incarnatus nec mortuus pro tuo populo, & tunc non videretur à nobis adeò magna tua Misericordia.

12. Cùm omnes tuæ Virtutes, *Domine*, essent ita perfectæ in Te antequam creares mundum, sicut postquam ipsum creasti, verum est, quòd tua Misericordia quoad Te non receperit ullum augmentum; sed quia per hoc, quòd peccatum Adami fuerit generale, tua Misericordia demonstratur homini major, quàm si ipsum non esset generale, propterea, ut ipsa demonstraretur major, & ut dares nobis exemplum, quod nobis dedisti, ut essemus misericordes, illud peccatum est generale.

13. e. *Mirabilis Domine, in quo restaurantur & ad quem recurrunt omnes mei amores & omnes meæ recordationes!* In tua magna *Sapientia* significatur, quòd peccatum Adami sit generale, quia nisi esset generale, & esset speciale, non esset adeò magnum; & si ipsum non esset adeò magnum, non

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXXIII 23
adeò magnum significaretur bonum, quod est in tua Essentia & in creaturis; quoniam, quò majus est malum, eò meliùs significatur bonum, cùm unum contrarium eò meliùs significetur, quò majus est suum contrarium: igitur per hoc tua Sapiencia significat, quòd, ut tua Bonitas meliùs significetur, peccatum sit generale omnibus hominibus, licèt non fuerit in Adamo constrictè, ut hoc significaretur.

14. Sicut tua Sapiencia, *Domine*, meliùs significatur & demonstratur homini, quò plura bona fiunt & ordinantur à Te, ita meliùs significatur & demonstratur ipsi, quò plura sunt mala, quæ delentur à Te; & cùm plura sint mala per naturam peccati, quod est generale, quàm essent, si esset speciale, significatur, quòd plura bona ipsis contraria devenerint, si ipsum est generale, quàm si esset speciale: igitur, ut tua Sapiencia demonstraretur major, oportuit, quòd peccatum esset magnum per generalitatem, quoniam ipsa est magna generaliter in omnibus rebus.

15. Cùm

15. *Cum* peccatum generale, *Domine*, sit occasio, ratione cujus Tibi placuit recreare & restaurare mundum, qui erat corruptus in generalitate ipsius peccati, per hoc significatur, quòd, si peccatum non esset generale, Tu non esses tantum amatus nec laudatus, nec Tibi tot gratiæ agerentur quantum si ipsum est generale; quia ratione tuæ Incarnationis & ratione Passionis, quam sustinuisti ad restaurandum mundum, est homo multò plus occasionatus ad amandum & laudandum Te & ad essendum Tibi gratus, quàm esset, si non esses incarnatus & mortuus pro ipso; & in quantum Tu, *Domine*, direxisti & ordinasti hominem ad Te amandum & honorandum & laudandum & ad essendum Tibi gratus & obediens, in tantum significatur tua Sapientia; igitur tua Sapientia significando se ipsam homini ei significat peccatum Adami esse generale.

16. f. *Iuste Domine in omnibus rebus, sapiens in omnibus sapientiis!* Tuus magnus *Amor* significat peccatum Adami esse ge-

nerale; quia, nisi ipsum esset generale, non demonstraretur nobis adeò magnus amor, quem habes erga nos, sicut si ipsum est generale; quoniam per hoc, quòd Tu sis incarnatus in humana natura, & sis mortuus pro amore ipsius, significatur, quòd adeò ames hominem, quòd volueris esse homo & mori pro homine, quam mortem non sustinuisse nisi peccatum esset generale.

17. Peccatum fuit generale, *Domine*, ratione suæ malitiæ, & tuus magnus Amor est Tibi ratio adeò amandi hominem, quòd ipsum volueris recreare ab illo peccato; & si peccatum non esset generale, non Te incarnasses ad recreandum hominem; & si hoc non fecisses, ipse non esset adeò occasionatus ad mortificandum suam sensualitatem ut amaret Te, sicut est per hoc, quòd hoc feceris: igitur, ut homo esset valde occasionatus ad moriendum pro tuo amore & ad vincendum se ipsum, significatur, quòd peccatum sit generale.

18. Si peccatum non esset generale,
Domine,

Domine, non significaretur, quòd Tu esses occasionatus, ut esses homo; & si Tu non esses homo, non esset unum individuum in humana specie, quod amaretur à suo Creatore plús, quàm omnes aliæ creaturæ, & quod amaret suum Creatorem plús, quàm omnes ipsæ; & si Tu es Homo, sunt omnia supradicta, quia tua divina natura amat humanitatem, cum qua est unita, plús quàm omnes alias creaturas, & ista humanitas amat tuam divinam Naturam plús, quàm omnes aliæ creaturæ: igitur, ut esset iste adeò magnus amor inter Creatorem & creaturam, voluisti, *Domine*, uniri cum humana natura, quæ unio non esset facta nisi peccatum primi Parentis esset generale in humana specie.

19. g. O *Domine*, qui es totus noster *The-saurus* & tota nostra *Spes*! Tua magna *Bonitas* significat nobis, quòd peccatum primi Parentis sit generale, quia ipsa significatur nobis valde magna in assumptione humanæ carnis ratione multarum virtutum, quas nobis significat de se ipsa, & quas

non

non adeò significaret nobis, nisi esses incarnatus, ratione cujus significationis tuæ magnæ Bonitatis sunt multò plures homines in religione & bonitate per tuam Incarnationem, quàm essent sinè ipsa.

20. Quò plures sunt homines Religiosi, justi, virtuosos, Martyres, Confessores & Contemplatores tuæ Bonitatis, *Domine*, eò plus significatur tua Bonitas, & quò plus ipsa significatur hominibus, eò plus ipsi sunt directi & parati, ut sint boni; & quò plus ipsi sunt directi & parati, ut sint boni, eò meliores sunt, & quò ipsi meliores sunt, eò nobilior erit paradisus; quia in tua Bonitate & in bonitate hominum possidentium gloriam paradisi significabitur nobilitas ipsius paradisi, & quò paradisus erit nobilior, eò plus significabitur tua Bonitas: igitur, cum peccatum sit occasio tuæ Incarnationis, & tua Incarnatio significet tuam Bonitatem, & hoc sit occasio bonitatis hominum, significatur, quòd illud peccatum sit generale; quoniam si generale non esset, non adeò significaretur tua Bonitas, nec

homo

homo esset adeò paratus & directus, ut sit bonus, sicut est per tuam Incarnationem.

21. Si peccatum originale non esset, *Domine*, significaretur, quòd omnes filii infidelium, qui moriuntur in sua pueritia, intrarent in paradisum; quia dum peccatum originale non esset, non esset rationabile, quòd perderentur illi, qui proprium peccatum non haberent; & si ipsi salvarentur, non esset paradisus in illa nobilitate, in qua erit per complementum hominum justorum & Martyrum & aliorum Sanctorum: igitur, cum paradisus sit eò melior, quò meliores erunt homines, qui in eo erunt, & sit melior per homines justos, qui merentur gloriam, quàm esset per filios infidelium & idolatrarum, per hoc melius significatur nobis tua Bonitas, quàm significaretur, si illi infantes salvarentur; quia, quò melius videtur tuum opus, eò plus significatur tua Bonitas.

22. h. *Domine, quem amamus, Domine, cui obedimus, Domine, quem timemus!* In tua *Perfectione* significatur, quòd peccatum pri-

mi

mi Parentis sit generale, & quòd hoc sit verum, potest quilibet homo percipere, si velit scrutari & inquirere suammet naturam; quia quilibet inveniet ipsam plus inclinatum & paratam ad malum, quàm ad bonum.

23. Unde, cùm Tu, *Domine*, sis perfectus in omnibus tuis operibus, & in homine sit major dispositio & propensio ad mala opera, quàm ad bona, per hoc significatur, quòd hæc inordinatio non venerit à tua Perfectione; quia, si ab ea venisset, Tu non esses perfectus, cùm defectus non veniat à Perfectione: igitur tua Perfectio significat, quòd ab ea non venerit hæc mala propensio, quæ est in homine, imò venerit ab aliquo defectu, qui significatur esse peccatum Adami, ratione cujus humana natura fuit corrupta in ipso Adamo, & ratione cujus Tu abstulisti ab humana specie gratiam, quam in ea posueras: igitur ista corruptio & privatio gratiæ significat se venire à peccato generali.

24. Unde benedictus sis, *Domine DE-*

V S;

V S ; quia tua magna perfectio & noster magnus defectus significant, quòd peccatum sit generale; quia, nisi esset generale, non nasceremur in corruptione, in qua nascimur, nec deveniremus in malam propensionem, in quam devenimus, nec essemus plus parati ad malum, quàm ad bonum; quoniam non esset ratio, quòd sine culpa torqueremur & corrumperemur & inordinaremur & privaremur ordinatione, in qua fuimus in nostro Patre Adamo & in nostra Matre Eva, quando fuerunt creati, antequam peccarent.

25. i. *O Domine DEVS, qui es fons & complementum omnium bonorum!* In tua magna *Largitate & Liberalitate* significatur nobis, quòd peccatum Adami sit generale, quia, nisi esset generale, non assumpsisses humanam carnem, nec tradidisses tuam Humanitatem morti pro restauratione humani generis; & si hoc non fecisses, non significaretur nobis adeò magna tua *Largitas*, sicut significatur per hoc, quòd assumpseris Humanitatem, & eam tradideris pauper-

tati

tati & opprobriis & laboribus & morti pro amore nostri.

26. Igitur, cum sit valde major largitas, quod Dominus det se ipsum morti pro restauratione sui populi, quam si daret suum aurum vel aliam quamcunque rem, per hoc significatur, *Domine*, quod Tu sis incarnatus & Te dederis morti pro nobis, ut in tua Incarnatione & Morte videretur magna tua Largitas, & per hanc Incarnationem & Mortem significatur peccatum Adami esse generale.

27. Si peccatum non esset generale, *Domine*, significaretur, quod corruptio & poena, quæ est in homine, venisset à Te sine causa; & quia Tu habuisti magnam Largitatem in creatione hominis honorando ipsum super alias creaturas, quam honorationem ei fecisti per tuam gratiam, significatur, quod habueris Largitatem & Liberalitatem recreando ipsum; quia sicut Tu fuisti largus in creando & honorando hominem; ita significatur, quod sis largus in recreando ipsum: igitur, cum per hanc

ra-

rationem significetur, quòd Tu recreaveris hominem, etiam significatur, quòd peccatum sit generale; quia nisi esset generale, non fuisset facta recreatio, cùm non oportuisset eam fieri.

28. K. *O Domine DEVS, in quo consolatur & delectatur & vivificatur anima tui servi!* Tua magna *Humilitas* significat, quòd peccatum Adami sit generale; quia major humiliatio, quæ possit esse erga creaturam, est, quòd Creator se velit humiliare ad uniendum se cum ipsa: igitur, cùm hæc adeò magna *Humilitas* non significaretur nobis, nisi Te humiliasses ad assumendum humanam carnem, significatur, quòd Te humiliaveris ad assumendum ipsam ad demonstrandum tuo populo tuam magnam *Humilitatem*, quæ humiliatio significat peccatum Adami esse generale; quia nisi tale esset, Tu non habuisses occasionem hujus magnæ humiliationis.

29. Major *humilitas, Domine*, ad quam homo se possit humiliare, est quando honoratus Princeps pro restauratione sui populi

puli se humiliat ad sustinendum paupertatem & ludibria & vilipendia & contemptus & inhonorationes & tormenta & ad vendi & capi & ligari & mori: igitur propterea placuit Tibi incarnare Te, ut demonstrares istam adeò magnam humilitatem, quæ significat, quòd peccatum Adami sit generale; quia nisi esset generale, non esset ordinatio nec ratio, quòd ad omnia ista fuisses humiliatus.

30. Unde benedictus sis, *Domine DEUS*; quia significando & demonstrando magnam Humilitatem tuæ Deitatis, quæ se humiliavit ad assumendum carnem, & magnam Humilitatem tuæ Humanitatis, quæ se humiliavit ad tot pœnas & dolores & languores & ad mortem, significatur & demonstratur, quòd peccatum Adami sit generale super omnes nos per hoc, quòd omnes fuerimus in Adam & Eva inobedientes Tibi, qui es nos-

ter Dominus

DEUS.

Q

CAPUT

QVOMODO HOMO IN DIVINIS
Qualitatibus percipiat & intelligat, quòd
noster Dominus DEVS possit esse
DEVS & Homo simul.

1. **O** *DEVS vere, gloriose, amorose, cui*
fiat reverentia & honor! Qui vult
 percipere an Tu, *Domine*, possis esse DEUS
 & Homo simul, necessarium est ei reci-
 pere significationes tuarum qualitatum, &
 respicere tuam Potestatem in *sex modis*, se-
 cundùm quos ipsa operatur; quia nisi ho-
 mo reciperet prædictas significationes & res-
 piceret tuam Potestatem in his sex modis
 operandi, non posset percipere, quòd Tu
 posses esse DEUS & Homo simul.

2. Sed, quia multæ sunt tuæ qualitates,
Domine, quæ significant Te posse esse DE-
 UM & Hominem simul, & nos non pos-
 sumus recipere omnium significationes,
 propterea recipiemus solas significationes
octo earum, scilicet Infinitatis, Æternitatis,

Amoris,

Amoris, Justitiæ, Misericordiæ, Sapientiæ, Bonitatis & Perfectionis, quæ nobis sufficienter significant & demonstrant Te posse esse DEUM & Hominem simul.

3. *Sex modi operandi, quos oportet considerare in tua perfecta Potestate, Domine, sunt sequentes: Primus, quòd Tu possis creare aliquid de nihilo; Secundus, quòd possis auferre esse à quibuscunque creaturis velis; Tertius, quòd possis facere unam rem de alia; Quartus, quòd possis facere de una re duas vel tres vel plures; Quintus, quòd possis facere unam rem de duabus vel tribus vel pluribus; Sextus, quòd possis sustinere perdurabiliter quascunque creaturas velis in statu, in quo velis sine ulla alteratione & mutatione.*

4. b. *Gloriose Domine, humilis, dulcis & suavis! Qui vult inquirere an Tu possis esse DEUS & Homo simul, indiget quatuor conditionibus in sua inquisitione, quarum Prima est, quòd quemlibet sex modorum Potestatis ducat per significationes cujuslibet octo tuarum qualitatatum; Secunda, quòd,*

recipiat significationes qualitatum & sex modorum Potestatis aspiciendo unam significationem in alia; *Tertia*, quòd rem sensualem intelligat terminatam intrà terminos, intrà quos est terminata, & rem intellectualem non intelligat terminatam intrà terminos rei sensualis; & *Quarta*, quòd affirmet tuas qualitates esse perfectas sinè ullo defectu.

5. Qui sapienter sciat ducere suum intellectum per istas quatuor conditiones, *Domine*, poterit percipere, quomodo tua Potestas sit potens in natura divina & in humana, ut simul sint conjunctæ in nostro Domino JESU Christo, qui verè est Natura divina & humana; sed, quia multi homines ratione suæ ignorantia non sciunt facere hanc inquisitionem modo, quo potest percipi, quòd Tu possis esse DEUS & Homo, propterea multi hoc discredunt.

6. Tuus servus, *Domine DEVS*, filius tuæ ancillæ facit hanc inquisitionem intentione significandi & demonstrandi infidelibus, quomodo sit possibile, quòd Tu

sis

sis DEUS & Homo; quia dum ipsi receperint significationes possibilitatis, non poterunt negare per impossibilitatem, quòd Tu sis DEUS & Homo; & postquam eos duxerimus ad fatendum possibilitatem, eos ducemus ad intelligendum magnam rationem, quam Tu habes, ut sis unitus cum humanitate, ut ex his duabus propositionibus concessis concludamus, quòd Tu sis verè DEUS & Homo.

7. c. *Domine vere DEVS, qui sustines & dirigis omnia!* Cùm de necessitate debeamus affirmare & confiteri tuam Potestatem esse perfectam, sumus obligati ad confitendum ipsam esse infinitam; quia, nisi esset infinita, non esset perfecta: igitur si tua Potestas est infinita, necessarium est, quòd sex prædicti modi Potestatis capiantur intrà *Infinitatem* ipsius, quoniam, nisi ita esset, ipsa esset finita & terminata & non infinita: igitur, cùm ipsa sit infinita, significatur, quòd comprehendat omnes sex prædictos modos Potestatis.

8. Cùm secundùm istas rationes & demonstrationes

monstrationes significetur, *Domine*, quòd sex prædicti modi Potestatis sint in tua Potestate, probatum est intellectualiter Te posse creare aliquid de nihilo, & posse auferre esse à quibuscunque creaturis velis, & posse facere unam rem ex alia, & posse facere de una re duas vel tres vel plures, & posse facere de duabus vel tribus vel pluribus unam, & posse perdurabiliter sustinere quascunque creaturas velis sinè ulla alteratione; & si Tu potes omnia ista facere, significatur tuam Potestatem esse infinitam; sed si non posses ea facere, significaretur Te non posse omnia facere, & hoc *non posse* significaret finitatem in tua Potestate.

9. Cùm significaverimus & probaverimus, *Domine*, quòd antedicti sex modi sint in tua Potestate, significavimus & demonstravimus Te posse esse DEUM & Hominem simul, quia in tribus ultimis & in tribus primis hoc significatum est; quoniam, dummodo Tu habeas infinitam Potestatem, potes unire in JESU Christo Naturam divinam & Naturam humanam, quæ
sunt

sunt duæ, naturæ ut sint in uno JESU Christo; & potes facere, quòd unus JESUS Christus sit Natura divina & individuum humanæ speciei; & potes facere, quòd JESUS Christus sit DEUS & homo, quin Deitas patiatur ullam alterationem, nec Humanitas desinat esse natura hominis.

10. d. *Complete Domine, sanctificate, gloriose!* Tua *Æternitas* significat omnes sex modos potestatis esse in tua Potestate; quia si aliquis illorum non esset in ea, ipsa non esset æterna, eò quòd haberet defectum; & dummodo tua Potestas haberet defectum, non esset digna esse æterna.

11. Igitur cùm tua Potestas, *Domine*, sit æterna, significatur & demonstratur in tua *Æternitate* Te posse creare aliquid de nihilo, & posse privare suo *esse* quascunque res velis, & posse facere unam rem de alia, & de una re posse facere duas vel tres vel plures, & de duabus vel tribus vel pluribus unam, & sustinere unam rem in statu, in quo velis finè ulla mutatione & alteratione.

12. Igitur,

12. Igitur, cum tua Potestas, *Domine*, possit omnia ista, significatur, quod Tu possis esse DEUS & Homo simul; quia hæc Potestas intelligitur & demonstratur in unitate, cum sit in dualitate naturarum; & in dualitate, cum sit in unitate unius JESU Christi; & in sustentatione Deitatis in Humanitate, & Humanitatis in Deitate sine alteratione.

13. e. *Gratioso Domine super omnes gratias & benedictiones!* Intellectus hominis est obligatus ad affirmandum tuam Potestatem esse perfectam, & tuum *Amorem* amare, quod ipsa sit perfecta: igitur si tuus Amor amat, quod tua Potestas sit perfecta, amat in ea omnes sex prædictos modos potestatis significantes ipsam esse perfectam.

14. Igitur, cum hoc ita significetur, *Domine*, significatum est, quod, si tuus Amor velit Te creare aliquid de nihilo, possis; & si velit Te privare quamcunque rem suo esse, possis; & hoc idem significatur de omnibus aliis modis potestatis; quia omnes sunt digni amari in tua Potestate à tuo

Amore,

Amore, & nisi amarentur ab eo, ipse non esset amator perfectæ potestatis.

15. Unde; cum tuus Amor, *Domine*, velit in Te esse perfectam potestatem, significatur, quod Tu possis esse DEUS & Homo simul; quia dum tuus Amor amet & velit, quod JESUS Christus sit unus & sit duæ naturæ, & quælibet earum sit in eo sine ulla mutatione & alteratione, significatur, quod tua Potestas hoc possit complere; quoniam, nisi posset, significaretur tuum Amorem esse majorem tuâ potestate; & hæc majoritas significaret defectum potestatis vel inordinationem voluntatis.

16. f. *Mirabilis Domine, humilis, plene pietate & charitate!* Tua magna *Justitia* significat & demonstrat Te posse esse DEUM & Hominem simul; quia, cum sis justus in omnibus rebus, significatur, quod possis judicare & esse justus in sex modis Potestatis; quoniam, nisi hoc posses, significaretur, quod non posses esse perfectè justus.

17. Igitur, cum tua *Justitia, Domine*, sit omnino perfecta, significatur, quod tua Potestas

testas possit esse justa in creaturis in omnibus sex modis Potestatis; quia si tua Justitia velit creare aliquid de nihilo, vel velit privare aliquam rem suo *esse*, vel facere aliquid de aliquo, vel unire duas res in una, vel dividere unam rem in duas, vel sustinere aliquam rem in suo *esse* sinè ulla alteratione, significatur, quòd possit uti omnibus istis sex modis potestatis; quia, nisi ita esset, non posset esse omnino justa.

18. Igitur, cùm valde justum sit, *Domine*, quòd Tu volueris incarnari & assumere humanam naturam ad restaurandum & recreandum hominem, significatur in tua magna Justitia, quòd possis esse DEUS & Homo simul, cùm ita sit, quòd tua Justitia in hoc significet & demonstret se ipsam; quia dum sit ratio & justitia in tua Incarnatione, non potest eam impedire dualitas nec unitas nec alteratio nec ulla alia res; quoniam æquè magna est tua Justitia sicut tua Potestas, & tua Potestas sicut tua Justitia.

19. g. *Recreator Domine Salvator noster:*

In

In tua *Misericordia* significatur, quòd Tu sis potens in omnibus sex prædictis modis Potestatis; quia, nisi esses potens in omnibus eis, significaretur tuam *Misericordiam* non posse esse omnino perfectam in omnibus rebus.

20. Unde, cùm homo, *Domine*, sit obligatus ad affirmandum & fatendum tuam *Misericordiam* posse esse omnino perfectam, significatur, quòd, si sit opus misericordiæ creare aliquid de nihilo & privare aliquid suo *esse* & facere aliquid de aliquo & unire unam rem ex duabus & dividere unam rem in duas & conservare aliquam rem sinè ulla alteratione, tua *Misericordia* possit omnia ista facere; quia, nisi posset, non esset perfecta in potestate, cùm non posset facere omnia opera misericordiæ, quæ significant perfectam potestatem.

21. Igitur, cùm sit valde magnum opus misericordiæ, quòd Tu, *Domine*, assumpseris humanam carnem ad salvandum tuum populum, significatur in tua *Misericordia*, quòd potueris hoc facere, & per consequens
possis

possis esse DEUS & Homo; quia, dum tua Misericordia velit unire Deitatem cum Humanitate, & velit eas sustinere sine alteratione, significatur, quod hoc possit ad demonstrandum suam magnam Potestatem.

22. h. *Rex gloriose, Domine omnium principatum!* Tua magna *Sapientia* significat & demonstrat, quod Tu possis esse DEUS & Homo; quia, si ipsa est perfecta, oportet, quod sit omnipotens, & si est omnipotens, oportet, quod sit potens in omnibus sex modis operandi, in quibus significatur perfecta potestas.

23. Igitur, cum tua *Sapientia, Domine*, demonstraretur per creare aliquid de nihilo, & per privare suo *esse* res, quæ non sunt dignæ esse perdurabiles, & per facere unam rem ex alia, & per unire unam rem ex duabus, & per facere duas res esse unam, & per sustinere res in sua natura sine ulla alteratione, significatur, quod ipsa possit demonstrari in omnibus istis rebus sine ulla repugnantia.

24. Unde, cum per multas rationes significetur

nificetur & demonstratur, *Domine*, valde magna tua Sapiencia in hoc, quòd sis incarnatus ad demonstrandum tuam Bonitatem & ad restaurandum humanum genus; per hoc significatur, quòd tua Sapiencia possit unire Deitatem & Humanitatem, quin Deitas mutetur & alteretur de sua æterna Natura, licèt sit conjuncta cùm Humanitate.

25. i. *Vere Domine, qui es Fons vere vite!* Omnis homo est obligatus ad fatendum secundùm demonstrationem rationis, quòd tua Potestas sit perfecta in *Bonitate*, quin ullum bonum ei deficiat; & sicut tua Potestas est perfecta in *Bonitate*, ita tua Bonitas est perfecta in *Potestate*, quin ulla bona potestas ei deficiat.

26. Igitur secundùm hoc significatur, *Domine*, quòd sex prædicti modi potestatis sint in tua *Bonitate*; quia, nisi tua Bonitas posset creare aliquid de nihilo, & privare suo *esse* quidquid vellet, & facere unam rem de alia, & unire duas res in una, & de una facere duas, & sustinere quidquid

quid vellet finè ulla alteratione, significaretur ipsam non esse perfectam Bonitatem, quia haberet defectum potestatis.

27. Igitur, cùm nobis sit valde bonum, *Domine*, quòd Tu sis incarnatus in humana natura, significatur, quòd tua Bonitas possit facere divinam Naturam & humanam esse simul unitas, quin divina alteretur de sua Nobilitate & deprimatur ad ulium defectum.

28. K. *O gloriosa Deitas, quæ es sinè ulla compositione & sinè ulla alteratione!* Tua *Perfectio, Domine*, significat perfectionem in tua Potestate; quia, nisi tua Potestas esset perfecta, Tu non esses perfectus in potestate; & cùm Tu sis perfectus in omnibus rebus, significatur, quòd sis perfectus in Potestate; & quoniam talis es, significatur, quòd sis potens in omnibus sex prædictis modis Potestatis; quia, si in aliquo eorum non esses potens, tua Potestas non esset perfecta.

29. Igitur, cùm tua Potestas, *Domine*, sit perfecta, in perfectione ipsius significatur,

tur, quòd Tu possis creare aliquid de nihilo, & privare rem suo *esse*, & facere unam rem ex alia, & unam rem ex duabus, & duas ex una, & sustinere in *esse* sinè ulla alteratione quidquid velis; quia, nisi hoc significaret perfectio tuæ Potestatis, significaretur, quòd tua Potestas esset defectuosa; & si talis esset, significaretur in Te defectus contrarius tuæ Perfectioni.

30. Igitur, cùm in Te, *Domine*, non sit ullus defectus, & in Te sit demonstrata Perfectio, significatur, quòd Tu possis conjungere divinam Naturam cum humana ad demonstrandum perfectam potestatem, quæ est in Te, & ad demonstrandum omnes tuas perfectiones in uno JESV Christo, in quo sint Deitas & Humanitas sinè ulla alteratione adinvicem, licèt una sit unita cum alia; & per hoc significatur, quòd tua Perfectio possit unire tuam excellentem Humanitatem cum tua gloriosa Deitate.

CAPUT

QVOMODO HOMO PERCIPIAT

& intelligat finalem rationem, quam DEVS habuit, ut esset simul DEVS & Homo.

1. **O** DEVS gratiose, misericors, vir-
a. **O** tuose! Qui vult inquirere & perci-
pere an Tu, Domine, assumpseris huma-
nam carnem, necessarium est ei, quòd sua
inquisitio sit intellectualis & non sensualis;
& qui in hanc inquisitionem vult intrare,
si velit invenire veritatem, oportet, quòd
ex quatuor causis eligat & sumat finalem,
& ponat eam in conspectu tuarum Qualita-
tum essentialium, & recipiat significationes
illius & istarum.

2. Licet multæ sint significationes, quæ
demonstrantur per tuas Qualitates, quæ
sunt multæ, Domine, tamen inquiremus &
recipiemus solas significationes septem ipsa-
rum, quæ sunt Bonitas, Sapientia, Justitia,
Misericordia, Amor, Humilitas & Perfectio;
quia istæ sufficiunt ad significandum nostro

in-

intellectui causam finalem, quare Tu sis incarnatus in gloriosa Virgine nostra Domina sancta **MARIA**: benedicta sit ipsa.

3. *Gloriose Domine!* Sicut speculum clarum & verax demonstrat & repræsentat homini faciem ipsius, quando in eo se respicit, ita & adhuc multò meliùs tuæ Qualitates intellectualiter significant & demonstrant humano intellectui finalem rationem, quam Tu habes essendi Homo; & hæc significatio & demonstratio fit ipsi intellectui, quando homo intellectualiter ponit causam finalem ante tuas qualitates; quia, sicut sensualiter videtur facies in speculo, quando homo est ei antepositus, ita intellectualiter significatur & demonstratur & intelligitur in tuis Qualitatibus finalis ratio tuæ Incarnationis, quando hæc eis anteponitur.

4. b. *O Domine, qui es conceptus & natus per gratiam sancti Spiritus!* Sicut culter est factus ad sciendèdum & aratrum ad arandum & domus ad habitandum & lectus ad jacendum, ita tuæ Qualitates significant, quòd

R

quòd Tu habeas rationem & causam essen-
di Homo; quia, sicut culter & aratrum &
domus & lectus non sunt sinè causa finali,
ita tuæ Qualitates significant, quòd Tu non
sis sinè causa finali essendi Homo.

5. Nam, sicut culter & aratrum & do-
mus & lectus essent frustra, si non haberent
causam finalem, ita, *Domine*, nobilitates &
perfectiones, quæ tuæ Qualitates signifi-
cant de se ipsis, frustra significarentur, si
Tu non haberes rationem & causam essendi
Homo; quia dummodo hanc rationem &
causam non haberes, non esses homo, &
dummodo non esses homo, ordinatio crea-
turarum & tuorum operum non significare-
tur in tuis Qualitatibus in illa nobilitate,
in qua significatur per hoc, quòd sis Ho-
mo.

6. Undebenedictus sis, *Domine DEVS*;
quia sicut vegetabilia & animalia habent
propriam qualitates, quibus significant veri-
tatem de se ipsis & de suis operibus; ita &
multò meliùs Tu habes Qualitates, quibus
significas, quænam sint tua opera, & quæ-
nam

nam sit causa finalis, quam Tu habes essendi homo; quoniam sicut in animali significatur motus, ita in tuis septem Qualitatibus prædictis significatur causa finalis sive ratio, quam Tu habes essendi Homo.

7. c. *Salvator Domine, Director & Gubernator tuorum servorum!* Sicut soli est proprium splendere & illuminare & fugare tenebras, ita & adhuc multò meliùs est tuæ *Bonitati* proprium facere bona, & dirigere & ordinare & restaurare & reficere res malificatas & inordinatas & corruptas & perditas: igitur omnia ista & adhuc multò plura significantur intellectualiter in tua Bonitate, sicut in sole sensualiter significatur illuminatio & expulsio tenebrarum.

8. Unde, cum tuæ *Bonitati, Domine*, sit proprium facere bonum, significatur in ipsa finalis ratio, propter quam Tu facis bonum, quæ finalis ratio est perfectio & virtus & bonum, quod est in Te; & hæc ratio boni, quæ significatur in Te, significat, quòd Tu reficias & restaures & honores & dirigas hominem, qui est tua creatura; quia

per

per hoc, quòd sis bonus & sis Creator & Dominus hominis, significatur, quòd habeas rationem faciendi bonum homini.

9. Igitur, cùm majus bonum & major honoratio & directio, quam homo possit recipere, *Domine*, sit, quòd sua natura sit unita cum natura sui Creatoris, & tua Bonitas sit suprema, significatur, quòd Tu facias istud bonum & istam honorationem & directionem homini; quia, quò majus bonum & majorem honorationem Creator facit creaturæ, eò plus significatur & demonstratur Bonitas Creatoris: igitur finalis ratio, quam Tu habes essendi Homo, est, ut utaris tuâ magnâ Bonitate in homine; quia, sicut nobilis Rex sapiens & justus secundum suam honorationem & bonitatem habet causam essendi justus & verax & misericors erga suum populum, ita Tu, *Domine*, habes causam essendi Homo secundum respectum tuæ magnæ Bonitatis.

10. d. *Misericors Domine, qui descendisti ad inferos ad liberandum Prophetas!* Sicut memoria significat memorationem & in-

tellectus

tellectus cognitionem & voluntas amorem, ita tua *Sapientia* significat ordinationem & directionem & perfectionem in creaturis; quia, sicut à memoria est memoratio & ab intellectu cognitio & à voluntate amor, ita à tua *Sapientia* est in creaturis ordinatio & directio & perfectio.

11. Cum ex tua Incarnatione, *Domine*, sequantur in homine multa bona, scilicet quòd humana natura sit recreata & honorata, & quòd homo sit directus ad mortificandum suam sensualitatem sub rationali potentia, & sit occasionatus ad multum amandum & honorandum Te & ad essendum Tibi gratus & subditus & ad habendum multam patientiam in suis tribulationibus pro tuo amore, significat tua *Sapientia*, quòd Tu habeas causam & rationem essendi homo; quia omnia bona prædicta inde sequuntur, quæ non sequerentur, nisi esses Homo.

12. Unde sicut pulchra pictura vel opus valde bene factum & ordinatum & directum dat significationem de sapientia artificis,

tificis, ita, *Domine*, ordinatio & pulchritudo & directio, quam Tu dedisti huic mundo per hoc, quòd sis Homo, dant significationem de tua magna Sapiencia, & per hoc significatur & demonstratur, quòd Tu habeas causam & rationem essendi Homo ad dandum perfectionem & directionem tuo operi, & ut per pulchritudinem & ordinationem & perfectionem ipsius significetur tua magna Sapiencia.

13. e. *O Domine, qui apparuisti Apostolis post resurrectionem!* Sicut proprium est veritati demonstratio & ensi scissio & zelotypiæ passio & suspicio, ita & adhuc multò meliùs est tuæ *Justitiæ* proprium separare homines malos à bonis, & dare cuilibet, quod ad ipsum pertinet, & quod ei convenit secundùm sua merita.

14. Unde, cùm tua *Justitia, Domine*, significet omnia ista, significat, quòd Tu habeas causam & rationem essendi Homo; quia per hoc, quòd sis Homo, sunt directæ viæ salvationis & damnationis, & per tuam *Humanitatem* est directum & ordinatum,

natum, quòd homines in gloria præmie ntur
sensualiter recipiendo gloriam ab ipsa: igitur, cum per tuam Humanitatem dirigantur
istæ res, tua Justitia significat tuam Huma-
nitatem, & significando eam significat cau-
sam & rationem, quam Tu habes incarnan-
di Te & essendi Homo.

15. Et si Tu, *Domine*, non esses incar-
natus, peccatum Adami non esset deletum,
neque mundus esset recreatus, neque homo
esset nobilitatus illâ honoratione, in qua
erat, antequam peccasset, neque perfectè
remuneraretur in gloria; & si ista non es-
sent, significaretur, quòd Tu non esses jus-
tus: igitur, cum Tu sis justus, tua Justitia
significat, quòd habeas causam & rationem
essendi Homo.

16. f. *Virtuose Domine super omnem vir-
tutem, sanctificate Domine super omnem sanc-
tatem!* Sicut in medico significatur ars sa-
nandi infirmos, & in aqua significatur pu-
rificatio & mundatio rerum maculatarum
& immundarum, & in corde hominis sig-
nificatur amor, ita & adhuc multò melius

in tua dulci *Misericordia* significatur, quòd Tu habeas causam & rationem essendi Homo.

17. Nam in tua *Misericordia, Domine,* significatur, quòd Tu sis restaurator rerum corruptarum per peccatum, & quòd sis mundator culparum & peccatorum, & quòd non velis punire hominem secundum magnas culpas & peccata, quæ sunt in eo, imò velis misereri ipsius, secundum quod tua *Misericordia* est magna, & secundum quod est magna fragilitas & miseria, quæ est in ipso.

18. Igitur tua *Misericordia, Domine,* significando omnia ista significat, quòd Tu habeas causam & rationem demonstrandi eam in omnibus istis rebus, & per hoc significat, quòd Tu sis Homo; quia in hoc, quòd sis Homo & sustinueris multos languores & passiones & gravem mortem pro restaurando homine, significatur & demonstratur tua *Misericordia* in omnibus prædictis rebus, quæ non demonstraretur nobis in adeò magna magnitudine, nisi esses Homo

pro

pro amore hominis, & fecisses ei misericordiam de tua Humanitate.

19. g. *Iuste Domine in omnibus rebus, sapiens Domine in omnibus sapientiis!* Sicut natura amoris facit, quòd homo, qui valde amat, accedat ad rem amatam, & ei det ea, quæ multum amat; ita & adhuc multò meliùs natura tui perfecti *Amoris* significat, quòd Tu accedas ad rem, quam valde amas; & ei des id, quod multum amas, & ei indulgeas id, quod contra Te peccavit; quia omnia ista sunt natura & proprietas amoris, & omnia ista significant magnum amorem.

20. Unde benedictus sis, *Domine*, quia significante perfecto amore omnia ista significat, quòd Tu habueris causam & rationem essendi Homo, ut appropinquares Naturam divinam naturæ humanæ in tantum, quòd unires eas ambas; & significat, quòd in tantum ames naturam hominis, quòd volueris eam in Te habere; & significat, quòd tantum ames hominem, quòd pro amore ipsius volueris dare humanam naturam uni-

tam

tam cum Deitate; & significat, quòd volueris indulgere homini propter magnum amorem, quem habes erga ipsum: igitur, cum tuus perfectus Amor, *Domine*, omnia ista significet, significatur in ipso finalis ratio & causa, quam Tu habes essendi Homo.

21. Et si Tu, *Domine*, non haberes causam & rationem essendi Homo, non esses Homo, & si non esses Homo, non significaretur nobis adeò magnus Amor, quem habes erga hominem; quia si non esses Homo, non adeò amares hominem, quòd velles esse Homo & mori pro homine, & tantum ei indulgere & ei dare, quantum si esses Homo: igitur, cum tuus Amor, *Domine*, sit perfectus in omnibus rebus, significatur in perfectione ipsius, quòd velis eum demonstrare nobis perfectè, & significando hoc, significat, quòd habeas causam & rationem essendi Homo.

22. h. *O Domine DEVS, qui posuisti tuum servum in via & arte contemplandi in suo Creatore! Tu scis, quòd sit natura &*

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CLXXXV. 267
proprietas *Humilitatis* humiliare res nobi-
les ad res miseras, & dicere verba humilia
& dulcia & amorosa, & induere humiles
vestes, & ostendere humilem aspectum: igitur,
sicut humilitas significat omnes istas
res, ita tua magna Humilitas significat,
quòd Tu habeas causam & rationem essen-
di Homo.

23. Nam per hoc, quòd Tu, *Domine*,
sis Homo, significatur & demonstratur tua
excellens Humilitas, cùm Deitas se humili-
averit ad uniendum se cum Humanitate,
& humiliaverit suam Humanitatem ad pau-
pertatem & ad famem & sitim & ad mul-
tos dolores & amaritudines & ad graves
labores & ad angustiosam mortem; & nisi
Tu, *Domine*, esses Homo, non significaretur
in Te tota ista humilitas, quæ significatur
per hoc, quòd sis Homo.

24. Igitur, cùm noster intellectus,
Domine, sit obligatus ad recipiendum illam
humilitatem, quæ majorem demonstrat su-
am perfectionem & suam nobilitatem, oportet,
quòd confiteamur & fateamur, quòd
Tu

Tu sis Homo ; quia per hoc , quòd sis Homo, Te demonstras humiliorem , quàm si non esses Homo ; & quoniam per hoc, quòd sis Homo, Te demonstras humiliorem, significatur istam demonstrationem humilitatis esse finalem rationem, quare Tu sis unius cum humana Natura.

25. i. *O pie Domine, qui me amas, ut totum meum cor sit plenum tuo amore !* Sicut natura & proprietas Defectus sunt fragilitas & parvitas & miseria & ignorantia & indigentia & impedimentum & privatio & corruptio, ita natura & proprietas Perfectionis sunt sufficientia & magnitudo & virtus & potestas & bonitas & honoratio & omne bonum; quia sicut Defectus significat illas res, quæ sunt ei propinquæ in natura & proprietate, ita Perfectio significat illas res, quæ sunt ei propinquæ in natura & proprietate.

26. Unde benedictus sis, *Domine DEUS* ; quia , sicut Defectus habet causam faciendi id , quod pertinet ad suam naturam, ita Perfectio habet causam faciendi

di id, quod pertinet ad suam naturam ; & propterea, quando homo respicit tuam *Perfectionem* , significatur suo intellectui, quòd Tu habeas causam & rationem essendi homo ; quia per hoc, quòd sis homo , nobis demonstratur tua *Perfectio*, licèt esses perfectus , antequam esses homo ; nam sicut oculi corporales sunt nobis occasio videnti splendorem solis , ita, *Domine*, tua *Humanitas* est nobis occasio percipiendi tuam *Perfectionem* , licèt , sicut splendor erat in sole, antequam nos haberemus oculos & antequam essemus in *esse* , ita tua *Perfectio* esset in Te, antequam esses Homo.

27. Unde benedictus sis, *Domine D E- V S*, quia tua *Humanitas* est nobis ratio & causa & instrumentum, ut per eam & cum ea & in ea videamus & cognoscamus magnam *Perfectionem* , quæ est in tua *Deitate*, quam non possemus ita bene cognoscere, nisi esses Homo, licèt hæc impotentia non veniat ex parte tuæ *Deitatis* , sed solum ex parte nostræ fragilitatis ; & propterea in hoc significatur ratio & causa, quam Tu habuisti

af-

assumendi humanam naturam; quia, nisi es Homo, non haberemus, cum quo nobis ita bene significaretur & demonstraretur Perfectio, quæ est in tua Deitate, quæ Perfectio nobis significatur, *Domine*, in tua Humanitate, ipsâ nobis demonstrante tuam Potestatem & Justitiam & Misericordiam & Amorem & omnes alias tuas virtutes.

28. K. *Domine vere DEVS, qui es complementum meorum desideriorum & thesaurus meorum recordationum!* Benedictus sis Tu, quia inquirendo significationes tuarum qualitatum & aspiciendo in eis causam finalem, invenimus causam & rationem, secundum quam demonstratur & significatur, quòd Tu sis Homo; & sicut per istum modum & artem invenimus in Te rationem & causam essendi Homo, ita similiter potest inquiri & inveniri, quænam sint tua opera & quænam non.

29. Sed, quia homines nescii, *Domine*, non sciunt inquirere in Te isto modo & arte, scilicet recipiendo significationes tuarum qualitatum & inquirendo in ipsis qualitatibus

tibus finalem causam & rationem, quam habes creandi & faciendi & volendi & ordinandi id, quod creas & facis & vis & ordinas, propterea non sciunt inquirere & invenire finalem causam & rationem, quam habes in tuis operibus, & ignorando ipsam, ignorant & discredunt tua opera.

30. Tuus servus & tuus amator & tuus subditus Te orat & laudat, & Tibi gratias agit, *Domine DEVS*, confitendo & fatendo se recepisse à Te gratiam & benedictionem, per quam cognovit & intellexit, quòd Tu habeas rationem & causam essendi simul *DEUS* & *Homo*; quia omnes tuæ Qualitates secundum suam magnam Bonitatem & Nobilitatem significant, quòd Tu habeas istam causam & rationem, ut humana natura sit subjectum, in quo demonstratur magna Nobilitas divina.

CAPUT

QUOMODO HOMO IN SIGNIFI-
cationibus divinarum Qualitatum & trium
Legum percipiat & cognoscat, quòd noster
Dominus JESVS Christus sit verè
DEVS & Homo.

1. **O** DEVS amorose, qui es perfectio &
a. **O** complementum meorum amorum &
meorum devotionum & omnium meorum pla-
citorum! Qui est inquisitor veritatis in re-
bus, in quibus ipsa est, debet eam inqui-
rere, & à veracioribus testibus, quos po-
test invenire, debet eam petere; & prop-
terea, Domine, quia tuæ Qualitates sunt in
majori veritate, & sunt veraciores testes, qui
esse possint, inquiremus in eis, an verum sit,
quòd Tu sis simul DEUS & Homo.

2. JESU Christe Domine! Ad perci-
piendum, an Tu sis DEUS & Homo, fa-
ciemus inquisitionem cum significationibus
tuæ Bonitatis & Sapientia & Veritatis &
Justitia & Ordinationis & Misericordia &
Amoris

Amoris & Humilitatis; quia quælibet harum tuarum Qualitatum significat intellectualiter, an Tu sis DEUS & Homo. Etiam inquiremus an tres Leges dent significationem de conjunctione Deitatis cum tua Humanitate.

3. Inquirendo & aspiciendo significationes tuarum Qualitatum, *Domine*, & significationes trium Legum percipitur & demonstratur veritas tuæ Incarnationis, & quænam Lex sit vera & quænam falsa; quia respiciendo prædictas significationes, invenit homo veritatem rei inquisitæ per ipsas.

4. b. *O Domine, qui sanas & mundas meos languores & allevias meos graves dolores!* Judæi & Christiani & Saraceni fatentur & affirmant, quòd Tu habeas perfectam *Bonitatem*; & quia omnes hoc fatentur, oportet, quòd inquiremus, quænam trium Legum det majorem significationem de tua Bonitate; quoniam illa Lex, quæ eam plus significabit, significabit se ipsam esse meliorem aliis, & tua Bonitas

S

etiam

etiam significabit illam Legem esse meliorem aliis.

5. *Vere Domine!* Verum est, quòd omnis Bonitas consistat in Creatore & in creaturis; quia, nisi essent Creator & creaturæ, nulla bonitas esset in *esse*; & sicut omnis bonitas, quæ est in creaturis, est ratione bonitatis, quæ est in Creatore, & sinè ea nulla esset bonitas in eis, ita omnis bonitas, quæ est in creaturis inferioribus, est in eis ratione bonitatis Angeli & hominis; quia nisi Angelum & Hominem posuisses in *esse*, nullam bonitatem posuisses in illis: igitur, secundùm hoc sequitur, quòd omnis bonitas sit in *Esse* divino & in *esse* angelico & in *esse* humano, quia nulla res est bona, nisi respectu *Esse* divini & angelici & humani.

6. Quantam significationem dant de tua Bonitate, *Domine*, Lex Judæorum & Lex Saracenorum, tantam significationem dat de ipsa Lex Christianorum & adhuc multò majorem; & quia Judæi & Saraceni negant Te assumpsisse humanam natu-

ram,

ram, quam Christiani Te assumpsisse affirmant, Christiani attribuunt tuæ Deitati plus bonitatis, quàm Judæi & Saraceni; quoniam confitendo Te esse DEUM & Hominem, Tibi attribuunt Naturam divinam & naturam angelicam quantùm ad animam, & naturam humanam quantùm ad corpus & animam rationalem: igitur, quia Lex Christianorum significat in Te plus Bonitatis, quàm aliæ leges, significat se ipsam esse veram, & leges sibi contrarias esse falsas, & significando hoc, significat Te esse verè DEUM & Hominem simul.

7. c. *O Domine, ad quem diriguntur & tendunt mea desideria & mea cogitationes!* Cùm Lex Christianorum significet & demonstret Te assumpsisse humanam naturam, & Judæi & Saraceni hoc negent, Christiani cognoscunt naturam humanam & naturam angelicam in nobiliori dispositione & in majori dignitate, quàm Judæi & Saraceni; & quò meliorem cognoscunt nobilitatem creaturarum, eò majorem habent cognitionem de Bonitate & Nobilitate

tate Creatoris.

8. Nam credendo, quòd Tu, *Domine*, adeò honoraveris hominem, quòd volueris esse homo & mori pro homine, affirmat Christianus naturas humanam & angelicam in majori dignitate, quàm eas affirment, qui non credunt Te esse Hominem & esse mortuum pro amore hominis; & dando & attribuendo & credendo majorem dignitatem naturis angelicæ & humanæ, dant & attribuunt Tibi majorem nobilitatem & bonitatem; quia, in quantum creatura demonstrat suam bonitatem, in tantum demonstrat Bonitatem sui Creatoris; & in quantum creatura occultat suam bonitatem, in tantum occultat Bonitatem sui Creatoris.

9. Unde, cùm Lex Christianorum, *Domine*, significet in tuo opere majorem bonitatem, quàm Lex Judæorum & Saracenorum, per hoc significatur & revelatur & demonstratur veraciter, quòd Tu sis DEUS & Homo; quia, nisi ita esset, Lex Christianorum esset falsa, & si ipsa esset falsa, esset falsa illa Lex, quæ dat homini

ma-

majorem significationem de tua Bonitate, quàm ulla alia Lex; & hoc est impossibile, quòd Lex, quæ Te demonstrat meliorem, sit falsa, & Lex, quæ non Te demonstrat ita bonum, sit vera.

10. d. *O Domine, in quo confidimus & consolamur & certificamur!* Proprium est omni bono & sapienti artifici habere sapientiam, quâ sciat amare suum opus, & complacere sibi ex hoc, quòd ipsum sit durable & laudabile & bene ordinatum; quia, nisi talem sapientiam haberet, non esset sapiens: igitur si credentia Judæorum esset vera & esset à Te, significaretur, quòd Tu non haberes Sapientiam in operando nec in amando tuum Opus; quoniam in captivitate, in qua ipsi sunt, significatur, quòd non sint ordinati ad essendum in statu salvationis ratione captivitatis & vilitatis, in quas devenerunt, & ratione modicæ quantitatis numeri, in quo sunt: igitur aspiciendo significationes tuæ *Sapientie*, & significationes status Judæorum, significatur, quòd ipsorum credentia non sit vera.

11. Si Lex Saracenorum esset vera, *Domine*, significaretur, quòd Tu non haberes perfectam Sapientiam, quia in paradiso haberent viri conjunctionem foeminarum, & comederent & biberent & dormirent & induerentur & haberent domos & lectos & alias delectationes sensuales; & si hoc ita esset sequeretur, quòd paradisus esset inordinatus, & non esset in eo gloria perfecta; & si hoc ita esset, significaretur, quòd Tu non haberes perfectam Sapientiam: igitur, cùm Tu, *Domine*, habeas perfectam Sapientiam, Lex Saracenorum significat se ipsam esse falsam, & tua Sapientia hoc idem significat.

12. Cùm tua Sapientia, *Domine*, significet, quòd credentia Judæorum & Saracenorum non sit vera, significat, quòd Fides Christianorum sit vera; quia si credentiæ Judæorum & Saracenorum non essent veræ nec etiam Fides Christianorum, nulla Lex esset vera; & si nulla Lex esset vera, Tu non esses sapiens: igitur, cùm Tu sis sapiens, significatur, quòd aliqua Lex sit vera;

&

& cùm secundùm rationes prædictas hæc non possit esse Lex Judæorum nec Saracenorum, significatur, quòd debeat esse Lex Christianorum. Etiam probatur, *Domine*, quòd Lex Christianorum sit vera in ordinatione, quæ sequitur quantum ad hoc sæculum & aliud ratione Incarnationis tuæ Deitatis in humana natura, secundùm quam ordinationem significatur tua Sapiencia: igitur, cùm significatum sit Fidem Christianorum esse veram, significatum est Te esse verè DEUM & Hominem.

13. e. *O Domine DEVS, cui sit gloria & laus semper!* In tua Veritate significatur, quòd nullus homo sit dignus venire in tuam Gloriam credendo falsitatem, quia falsa credentia est res contraria tuæ *Veritati*: igitur, cùm Lex Christianorũ meliùs, quàm ulla alia, significet unam viam salvationis tantùm, scilicet Fidem veram, per hoc meliùs significat tuam Veritatem, quàm ulla alia.

14. Quòd Lex Christianorum, *Domine*, meliùs significet tuam Veritatem, quàm ulla

ulla alia Lex, probatur in significatione
 cujuslibet Legum; quia, si Lex Christiano-
 rum non esset vera, & fides Judæorum &
 Saracenorum essent veræ, posset quilibet
 homo salvari in quacunque credentia esset,
 dummodo putaret habere veram fidem; &
 cum tres credentiæ illorum, qui putant ha-
 bere veram Fidem, sint contrariæ, oportet
 duas earum esse in falsitate & unam in ve-
 ritate: igitur, si intentio Judæorum vel Sa-
 racenorum esset vera, sequeretur, quòd
 homo existens in falsitate salvaretur; quia,
 dum peccatum originale non esset, in qua-
 libet credentia salvaretur homo; & cum
 non omnes credentiæ sint veræ, salvaren-
 tur multi in falsa credentia; & si ita esset,
 significaretur, quòd Tu non esses Veritas.

15. Igitur, cum Lex Christianorum sig-
 nificet, *Domine*, nullum hominem posse sal-
 vari nisi in ea, & hæc significatio sumatur
 ex peccato originali & ex tua Incarnatione,
 per hoc significat unam solam viam salva-
 tionis, scilicet unam Legem; & per hanc
 significationem, quam dat Fides Christia-
 norum,

norum, multò meliùs significatur tua Veritas per eam, quàm per alias credentias: igitur major significatio tuæ Veritatis significat Legem Christianorum esse veram, & veritas ipsius significat Te esse DEUM & Hominem simul.

16. f. *O Domine amate! O Domine honorate! O Domine volite!* Magna Justitia, quæ est in Te, significat, quòd Tu sis Homo; quia, nisi esses Homo, Lex Christianorum non esset vera, & nisi ipsa esset vera, significaretur, quòd Tu non esses justus: igitur, cùm Tu sis justus, significatur, quòd Lex Christianorum sit vera; & si ipsa est vera, significatur & demonstratur, quòd Tu sis Homo.

17. Quòd Tu, *Domine*, non significareris justus, si Lex Christianorum non esset vera, probatur in hoc, quòd in nulla Lege sint tot Clerici & adeò honorati & adeò sapientes & adeò potentes, quot sunt in ipsa; & in hoc, quòd nullus populus habeat tantum meriti in credendo in Te, quantum Christiani per hoc, quòd in Te credant

credant subtiliùs, quàm alii populi, nec ullus populus est adeò obediens Clericis, qui Legem manutinent, sicut Christiani, nec in ullo populo sunt tot Religiosi, quot sunt in populo Christianorum.

18. Igitur, cùm hoc ita sit, *Domine*, significatur in tua *Justitia*, quòd Lex Christianorum sit vera; quia, nisi ipsa esset vera, Christiani damnarentur, & si ipsi damnarentur, & salvarentur alii minùs digni salvatione, significaretur, quòd Tu non esses justus: igitur, cùm Tu, *Domine*, sis perfectè justus, significatur in tua *Justitia*, quòd Tu sis verè DEUS & Homo, quia aliter Lex Christianorum non posset esse vera. Etiam videmus, *Domine*, quòd JESUS Christus & Apostoli & Martyres & Sancti post suam mortem plùs honorentur, quàm ulli alii, qui præteriti sint; & nisi essent mortui in veritate, non esset dignum, quòd adeò honorarentur, sicut honorantur: igitur ipforum honoratio significat, quòd sint mortui in veritate, quæ veritas significat in tua *Justitia* Te esse DEUM & Hominem.

19. g. *Pie Domine, plene Misericordiâ!*

Ordinatio quinque sensuum corporalium & quinque sensuum spiritualium significat Legem Christianorum esse veram, & significando ipsam esse veram, significat Te esse verè DEUM & Hominem, quia significando veritatem de Lege Christianorum, significatur, quòd Tu sis verè DEUS & Homo.

20. Quòd *ordinatio* sensualitatum & intellectualitatum significet Legem Christianorum esse veram, *Domine*, demonstratur in hoc, quòd Christiani captivent & torqueant suas sensualitates, & faciant eas plus obediens & subditas intellectualitatibus, quàm ulli aliorum hominum; quia nulla Fides est adeò contraria rebus sensualibus per afflictionem & per credentiam, sicut Fides Christianorum, & quò plus sensualitates sunt servæ & subditæ intellectualitatibus, eò plus significant ipsas intellectualitates esse veras ratione nobilitatis, quæ in eis significatur.

21. Nullæ intellectualitates, *Domine*,
fig-

significant in ulla lege tantam ordinationem, quantam significant in Lege Christianorum; quia secundum ipsam anima est magis parata ad cogitandum in Te, quam secundum quamcunque aliam; & in Lege Christianorum percipit homo plus de tua Deitate, quam in ulla alia Lege; & in ipsa habet homo plus conscientiae, quam in ulla alia; & in ipsa tractat homo subtilius de tua Deitate & de tua gloria, quam in ulla alia; & in ipsa est homo plus paratus ad mortificandum suam animositatem & ad augendum ipsam, quam in ulla alia: igitur tota ista ordinatio significat Te esse DEUM & Hominem, significando Legem Christianorum esse veram.

22. h. *Caelestis Domine, cujus contemplationis non obliviscitur mea anima!* Non est ulla Lex, in qua adeo significetur tua magna *Misericordia*, sicut in Lege Christianorum; quia credere, quod tua Misericordia Te fecerit incarnari & esse pauperem & tortum & mortuum ad salvandum tuum populum, est credere tantam Misericordiam, quod

major non possit æstimari: igitur significando istam adeò magnam Misericordiam, significatur, quòd Tu sis DEUS & Homo, quia aliter non posset nobis significari tua Misericordia in adeò magna magnitudine.

23. Igitur, cùm nec Judæis nec Saracenis secundùm suam Legem significetur tanta tua Misericordia, quanta significatur Christianis secundùm suam Legem, *Domine*, per hoc significatur Legem Christianorum esse meliorem Lege Judæorum & Saracenorum; & si ipsa est melior, sequitur, quòd Tu sis DEUS & Homo; quia, nisi melior esset, sequeretur ipsam non esse veram; & si vera non esset, sequeretur Te non esse Hominem.

24. Unde benedictus sis, *Domine*, quia quoad tuam Deitatem non es misericordior post Incarnationem, quàm esses ante ipsam; quoniam in tua Deitate Misericordia non augetur nec minuitur; sed verum est, quòd ratione Incarnationis tua Misericordia demonstratur tuo populo major, quàm demonstratur

monstraretur si non esses incarnatus: igitur, ut tuus populus posset meliùs certificari de magnitudine tuæ Misericordiæ, assumpsisti humanam carnem ad hoc, ut ista & passio, quam sustinuit, essent oculi, quibus intellectualiter videremus & sciremus quàm magna sit tua mirabilis Misericordia.

25. i. *O Domine DEVS, qui mihi dedisti consolationem lacrymarum & ploratum & devotionum & amorum!* Quibuscunque modis Judæi & Saraceni dent veras significationes de tuo *Amore* in sua credentia, possumus Christiani eas dare in nostra & adhuc multò pluribus, & hoc est, quia credimus, quòd Tu sis homo ex amore hominis.

26. Si Judæi & Saraceni secundùm suam Legem affirmant, quòd Tu, *Domine*, amaveris hominem, quia eum creasti & honorasti & ordinasti & beneficiasti, Christiani secundùm suam Legem idem affirmant; sed quia Christiani ultra hoc credunt & affirmant, quòd Tu adeò amaveris hominem, quòd volueris esse Homo & esse

esse pauper & sustinere ignominias & tormenta & mortem, & Judæi & Saraceni non credunt in Te istum amorem, qui est adeo magnus, quod non posset esse major, propterea significatur, quod credentia Christianorum, quæ majorem significat tuum amorem, sit melior, quàm credentiæ Judæorum & Saracenorum, quæ ipsum significant minorem.

27. Unde, cum Lex Christianorum, *Domine*, det majorem significationem de tuo glorioso Amore quàm ulla aliarum Legum, per hoc significatur, quod ipsa plus ametur à Te quàm ulla alia; quia, quò plus aliqua res demonstrat tuum Amorem, eò plus est digna amari à Te quàm res, quæ non adeo ipsum demonstrant: igitur, cum hæc ita sint, significatur in tuo Amore & in Lege Christianorum, quod Tu sis verè DEUS & Homo.

28. K. O *Domine DEVS*, qui excitasti & vivificasti tuum servum, qui dormiebat & moriebatur in peccato! In nulla Lege adeo fortiter significatur tua *Humilitas* sicut in Lege

Lege Christianorum, quia in hoc, quòd Christiani credant tuam Deitatem, quæ est infinita, æterna & perfecta in omnibus rebus, se humiliasse ad Incarnationem & unionem cum natura hominis, quæ est adeò misera & fragilis respectu illius, significatur tanta Humilitas, quòd non possit significari major.

29. Non solùm Lex Christianorum significat, *Domine*, tuam Deitatem esse valde humilem, sed etiam hoc idem significat de Humanitate, quam assumpsisti; quia nulla humilitas potest esse major Humilitate Humanitatis unitæ cum Deitate, quæ voluerit se humiliare ad sustinendum famem & sitim & pavorem & poenas & contemptus & ad vendi & martyrizari, & ad sufferendum gravem mortem in Cruce, ut restauraret suum populum.

30. Unde, cùm tua Humilitas, *Domine*, det majorem significationem de se ipsa in Lege Christianorum, quàm in ulla alia Legge, per hoc tua Humilitas significat illam veram, & ipsa significat se esse veram reci-

piendo

piendo significationes tuæ Humilitatis :
igitur significatio, quæ significat Legem
Christianorum esse veram, verè significat
Naturam divinam esse unitam cum huma-
na in nostro Domino JESU Christo.

CAPUT CLXXXVII.

*QVOMODO HOMO PERCIPIAT
& intelligat, quinam sit melior & verior
modus, qui possit haberi in disputatione
de Fide.*

I. **O** *DEVS* amate, volite, honorate,
a. **O** dilector omnium bonorum ! Tibi, Do-
mine, sit gloria & laus omni tempore ; quia
melior modus, quem homo possit habere in
disputatione & inquisitione & ostensione &
defensione veritatis, est, quòd in principio
disputationis sit ordinatus & habeat bonam
intentionem & respectum ad veritatem, &
quòd concordet & conveniat cum suo ad-
versario in aliquibus rebus, quas uterque
communiter fateatur & credit, ut ex eis
possit

T

290 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
possit facere sua argumenta & suas peti-
tiones.

2. In principio, in quo homo vult in-
trare in aliquam disputationem, oportet,
Domine, quòd ambæ partes conveniant &
concordent amicabiliter, quin ira vel ma-
levolentiã sit inter ipsas, & oportet, quòd
concordent in cognitione rerum sensualium
& intellectualium, & se mutant de una sen-
sualitate in aliam, & de una sensualitate
in unam intellectualitatem, & de una intel-
lectualitate in aliam, ut cum rebus sensua-
libus possint ascendere ad habendum cog-
nitionem de quæstionibus, quæ fiunt in re-
bus intellectualibus, in quibus oportet quæ-
stiones & argumenta judicari & termi-
nari.

3. Postquam partes sint concordatæ in
prædicta ordinatione, oportet, *Domine*,
quòd concordent & resolvant, an velint
disputare per auctoritates Sanctorum, vel
per rationes naturales, ut videant, per
quem horum modorum meliùs possint ve-
nire ad certam demonstrationem rerum,
quas

quas inquirunt, & quidquid in principio concordetur & concedatur ab ambabus partibus, oportet scribi, ne in fine, quando veniat conclusio, possit negari.

4. b. *Mirabilis Domine, amate super omnes amores, amator super omnes amatores!*

Quando homines incipiunt disputationem, oportet, quòd habeant cognitionem de potentiis animæ, ut possint cognoscere, quænam ipsarum sit directa & quænam deviata, & oportet, quòd tempus sit æqualiter divisum inter ambas partes disputantes, ut quælibet pars possit demonstrare vel defendere in suo tempore id, quod est ei necessarium.

5. Ratio, quare est necessarium habere cognitionem de potentiis animæ, *Domine*, est, ut si pars, quæ defendit veritatem, percipiat contrariam partem errare per naturam & proprietatem potentia sensitivæ, possit eam mutare ad potentiam imaginativam mutando imaginationem ipsius in sensum contrarium, ut imaginativa offerat Rationi deviationem à veritate provenientem

tem à potentia sensitiva, quæ per suam inordinationem facit, quòd potentia rationalis recipiat falsas significationes, & ignoret veras.

6. *Misericors Domine* ! Si homo existens in veritate disputet cum alio existente in falsitate, necessarium est ei tentare & probare suum adversarium in sensibus sensualibus & in intellectualibus, ut percipiat, in quonam ipsorum sit deviatio à veritate, & aspiciat, an veritas ignoretur ab eo per nimis multam animositatem vel per nimis paucam; & si inveniatur, quòd veritas ignoretur per nimis multam animositatem, debet nimietatem mortificare in illa sensualitate vel intellectualitate, in qua animositas est multiplicata; & si veritas ignoretur per nimis paucam animositatem, debet ipsam multiplicare in illa sensualitate vel intellectualitate, in qua est necessarium eam multiplicari; & per istam artem poterit ducere suum adversarium ad cognitionem veritatis.

7. c. *Domine DEVS, qui es desiderium*

& spes Beatorum, qui pro tuo amore laborant!
Quando homines volunt intrare in disputationem, oportet, quòd unus tentet & probet alium, ut percipiat & cognoscat quilibet quænam sit intentio alterius; & oportet, quòd concordent in non procedendo per viam sophismatum & fallaciarum & in non dicendo sibi invicem inurbana verba, quia omnes istæ res impediunt inquisitionem & demonstrationem veritatis.

8. In principio disputationis oportet, *Domine*, quòd quælibet partium habeat suum intellectum totaliter liberum, & caveat, ne habeat ipsum coactum & constrictum; quia naturale est intellectui non intelligere, nisi sit liber, eò quòd servitus & constrictio faciant ipsum ignorare; & quando ambæ partes habeant suum intellectum liberum, oportet, quòd ipsum dirigant & actant & subtilient & disponant in Arbore De *Esse, Necessitate & Privatione*, & in Arbore De *Sensualitatibus & Intellectualitatibus*, & in Arbore De *Qualitatibus & significationibus*; & postea oportet

294 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tet, quòd intrent in disputationem in Ar-
bore *De Fide & Ratione*, in qua possunt in-
venire veritatem, quam inquirunt. (NB.
Hæ Arbores continentur in principio Libri
sequentis.)

9. Quando disputantes sint in arbore
Fidei & Rationis, oportet, *Domine*, quòd
concordent & conveniant, ne ad invicem
impediantur per contrarias significationes,
quæ sunt inter Verbum & Intellectum, &
inter Fidem & Rationem, ratione quarum
homines nescii decipiuntur recipiendo fal-
sas significationes, & ignorant & discre-
dunt & nolunt recipere veras significatio-
nes.

10. d. *Benedicte Domine, in quo sunt om-
nia mea placita & omnes mei amores!* Quan-
do homo sapiens disputat cum errante &
ignorante veritatem, in principio debet as-
picere, an ille sit subtilis vel gróssi ingenii;
& si eum percipiat non esse subtilem, mul-
tò meliús poterit eum extrahere à suo erro-
re per auctoritates, quas faciat eum crede-
re, & per miracula Sanctorum, quàm per

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Ca. CLXXXVII. 295
rationes & argumentationes naturales; quia
homo grossi ingenii est magis paratus ad Fi-
dem, quàm ad Rationem, eò quòd sua ani-
ma non habeat subtilitatem actualiter.

11. Quando homo subtilis, *Domine*,
disputat cum alio homine subtili, si illum
velit extrahere ab errore & ducere ad ve-
ritatem, oportet, quòd disputet cum ipso
rationibus syllogisticis naturalibus in rebus
sensualibus & in intellectualibus; quia meli-
tò meliùs ducitur ad veritatem homo sub-
tilis per rationes, quàm per fidem & aucto-
ritates; quoniam intellectus, quò plus est
acutus & subtilis, eò plus est paratus ad in-
telligendum, & quò plus est paratus ad in-
telligendum, eò plus amat res, quæ sunt
de natura intelligentiæ, quàm quæ sunt de
natura fidei; & hoc est, quia fides & intel-
lectus non conveniunt in natura.

12. Igitur, cùm hoc ita sit, *Domine*, o-
portet, quòd homo sapiens existens in ve-
ritate ducat suum adversarium per illam
viam, quæ meliùs convenit naturæ status
ipsius; quia sicut mulierem inducit ad bo-
num

num vel ad malum citius alia mulier, quam vir, eò quòd vir non tantum convenit cum muliere in natura, quantum alia mulier, ita hominem nescium grossi ingenii citius inducit sapiens ad veritatem per fidem, quam per rationes, & hominem subtilem citius inducit ad veritatem per rationes, quam per fidem & auctoritates.

13. e. *DEVS gloriose, qui defendis & adjuvas tuos benevolos!* In principio disputationis oportet affirmare & credere, quòd Tu, *Domine*, sis in *esse*, quia aliter disputatio nihil valeret; & si aliquis disputaret an Tu sis in *esse*, oporteret, quòd alius hoc ei probaret & demonstraret, sequendo & recipiendo veras significationes sensualitatum, per quas intellectus hominis ascendit ad intelligendum veras significationes intellectualitatum.

14. Et quando homo, *Domine*, probaverit & demonstraverit, quòd Tu sis in *esse*, oportet eum inquirere, an tuum *Esse* sit perfectum, vel an habeat aliquem defectum in se; & hanc inquisitionem & inventionem

nem

nem oportet fieri in significationibus tuarum Qualitatum & tuarum Proprietatum & Virtutum, & in significationibus & proprietatibus & statibus creaturarum; quia inquirendo & recipiendo omnes istas significationes invenit & percipit homo, quòd tuum gloriosum *Esse* sit totaliter perfectum & completum valde mirabili perfectione.

15. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia dum homo certò cognoscat vel firmiter credat, quòd Tu sis in *esse*, & quòd tuum *Esse* sit totaliter perfectum, potest dirigere & ordinare suam disputationem, attendendo ad tuam Perfectionem, & dando & recipiendo omnes propositiones significantes ipsam, & non recipiendo nec affirmando ullam, quæ significet defectum in tua perfecta *Essentia*; & ne conclusio possit negari, oportet propositiones concessas, super quas fit argumentum & probatio, scribi, vel saltem illas, per quas destrueretur conclusio, si negarentur.

16. f. *O Domine, qui vivificas & mortificas quidquid Tibi placet!* Quando ambæ

partes

partes in disputatione habent certam cognitionem de tuo *Esse*, & conveniunt in hoc, quòd ipsum sit perfectum sinè ullo defectu, oportet, quòd concordent & conveniant simul, & aspiciant & inquirent quænam trium Legum det majorem significationem & majorem demonstrationem de tua Perfectione; quia illa lex, quæ meliùs significat in se tuam Perfectionem, significat se valere plùs, quàm aliæ, & quò meliùs eam demonstrat, eò plùs valet, & eò dignior est amari à Te.

17. Et quando ista conventio & concordantia fuerit facta, *Domine*, & aspexerint, quænam Legum det majorem significationem de tua Perfectione, oportet, quòd intrent in disputationem, & quilibet habeat bonam intentionem & intellectum paratum & directum ad recipiendum significationes, quas quælibet Legum significat, & receptis istis significationibus quilibet judicet in suamet cognitione veritatem, secundùm quod ei significatur.

18. Et totam istam ordinationem

oportet

oportet fieri, *Domine*, super tuas Qualitates
essentiales, scilicet Infinitatem, Æternita-
tem, Potestatem, Sapientiam, Amorem,
Justitiam, Misericordiam, Humilitatem
& cæteras; quia Lex, quæ meliùs signifi-
cabit omnes istas qualitates esse perfectas in
tua Essentia, significabitur esse melior &
nobilior aliis; & Lex, quæ deficiet in sig-
nificando ipsas esse perfectas in tua Essen-
tia, significabitur & demonstrabitur esse fal-
sa; sed in hoc oportet hominem non reci-
pere ullam falsam significationem, quia per
falsas significationes occultantur veræ.

19. g. *Liber Domine, amoroſe, gratioſe,*
plene miſericordiã & gratiã! In principio
disputationis oportet, quòd homo habeat
cognitionem de Articulis, qui creduntur &
continentur & significantur in qualibet
trium Legum, & poſtea oportet, quòd af-
piciat ſignificationes tuarum Qualitatum &
qualitatum Articulorum prædictarum Le-
gum; quia Articuli, qui meliùs concordant
ſuas ſignificationes cum tuis Qualitatibus,
ſignificantur meliores & nobiliores & vir-
tuoſiores

tuosiores aliis.

20. Qui secundum istam artem velit, *Domine*, disputare vel inquirere vel demonstrare veritatem suæ legis, poterit eam invenire; quia tuæ Qualitates nunquam concordant cum illis significationibus falsis & contrariis veritati: igitur sicut homo probat frustum auri cum lidio lapide, per quem cognoscit, an sit verum aurum, ita, qui vult inquirere an Articuli sint veri, hoc inquireat in significationibus tuarum Qualitatum & ipsorum Articulorum.

21. Unde benedictus sis, *Domine*, quia, sicut duæ propositiones veræ significant veram conclusionem, ita tuæ Proprietates & Qualitates significant quænam res sit vera & quænam falsa; & sicut duæ propositiones falsæ significant falsam conclusionem, ita falsæ significationes, quæ sunt in falsis Articulis falsæ Legis, significant ipsam Legem esse falsam; sed sicut falsò & sophisticè falsæ propositiones significant conclusionem, quæ non est vera, esse veram, ita per ignorantiam, quæ est in homine per

pecca-

peccatum, quædam falsitates creduntur in falsa Lege, quæ ostendunt esse verum id, quod est falsum, & esse falsum id, quod est verum; sed omnes istæ deceptiones inveniuntur & cognoscuntur, si est, qui sciat recipere significationes tuarum Qualitatum & credentiarum, quæ creduntur in legibus.

22. h. Gloria, laus & benedictio, reverentia & honor fiant Tibi, *Domine DEVS*; quia, quando homo sapiens existens in via veritatis demonstrat veritatem suo adversario existenti in errore, debet totam suam vim & conatum impendere in illuminando ei intellectum; quoniam melius est, quod homo demonstret veritatem intellectui sui adversarii, quàm si cogeret eum ad confitendum ipsam, quin esset directus & certificatus in ea.

23. Homines, qui nolunt confiteri veritatem in disputatione, *Domine*, & faciunt sophismata & fallacias, ut fugiant, & ne significant se esse victos & confusos, habent inordinatam intentionem; quia non
dis-

disputant ad demonstrandum nec ad percipiendum veritatem, sed solum ut videantur sapientes, & tota sua intentio est in vana gloria: igitur licet ipsi nolint fateri veritatem, non debet disputans facere magnam vim, nec debet contra eos irasci, quia sufficit, quod eis vulneret intellectum in hoc, quod cognoscant ipsum dicere veritatem, & se ratiocinari contra eam.

24. Homines nolentes fateri veritatem demonstratam suo intellectui, *Domine*, possibile est, quod alio tempore eam fateantur; quia veritas est propinquior intellectui, qui eam intelligit, quam confessioni verborum; & postquam intellectus sit tactus & percussus & vulneratus à veritate, conscientia ducit in actum confessionem ipsius veritatis; & hoc dicimus, *Domine*, ut disputantes & demonstrantes veritatem, licet eis non concedatur, tamen non desistant eam demonstrare intellectui suorum adversariorum.

25. i. *Honorate Domine, à quo veniunt & descendunt omnes honorationes!* Quando ho-

mo

mo existens in veritate disputat cum alio existente in falsitate, necessarium est, quòd in fine disputationis concludat veritatem, ut in ea finiantur & terminentur verba, & ne homo existens in falsitate iterum proponat & respondeat; & hoc est, ut iste cogitet & imaginetur & memoret & intelligat finem verborum, quæ concludunt veritatem.

26. Si ita esset, *Domine*, quòd in fine disputationis homo taceret id, quod demonstrat veritatem, & diceret res falsas, fieret injuria veritati, quia dignum est, quòd prima & ultima verba sint illius, qui est in veritate, & non illius, qui est in falsitate, quoniam principium disputationis debet esse in veritate & non in falsitate & similiter finis ipsius; & propterea, qui est in falsitate, non debet dare finem nec principium disputationi.

27. *Nov.* Cùm Lex & Fides multò plùs consistant in rebus intellectualibus, quàm in sensualibus, *Domine*, oportet, quòd homines disputantes de Lege & Fide plùs & frequentius

quentiùs & diligentius utantur rebus intellectualibus quàm sensualibus, quia in illa natura, cui Lex & Fides sunt magis propriæ & magis propinquæ, debet fieri major inquisitio & major vis, quàm in natura, cui non sunt adeò propriæ & propinquæ.

28. K. *Fortis Domine super omnes fortitudines, humilis super omnes humilitates.*

Quando homo disputat de Fide, oportet, quòd cognoscat & affirmet omnia creata devenisse in *esse*, ut in eis cognoscatur bonitas & perfectio, quæ est in tua gloriosa Essentia; quia per talem cognitionem potest homo se dirigere in sua disputatione per hoc, quòd semper aspiciat quænam Lex & quænam Fides sit, per quam tua Bonitas & tua Perfectio melius demonstretur in creaturis.

29. In disputatione oportet, *Domine*, habere quietem & recordationem & attentionem, quia per multa verba homo fatigatur & obliviscitur & ignorat, & propterea debet quietare suam sensualitatem, ne

fa-

fatigatio impediatur & perturbet intellectua-
litate. Etiam oportet, *Domine*, quòd ho-
mines arguentes adinvicem sint amatores
veritatis, & sint inamorati de Te; quia nisi
tales essent, non sequerentur modum, per
quem venit ad concordantiam & bene-
volentiam.

30. Non est ullus modus, in quo homo,
Domine, possit adeò faciliter dirigere in-
tellectum sui adversarii, sicut si faciat eum
inquirere possibilitatem rerum, quæ ei vi-
dentur impossibiles, quia cum possibilitate
inquirat intellectus hominis & invenit &
demonstrat veritatem: unde tuus servus,
Domine DEVS, & filius tui servi & tuæ
ancillæ Tibi agit gratias, quia ei dedisti
gratiam cognoscendi omnes prædictos &
plures alios modos, per quos in disputatio-
ne Fidei potest vincere & superare omnes
homines, qui sunt in falsitate & contrarii
tuæ sanctæ Trinitati & Incarnationi vel
unioni tuæ Humanitatis cum tua gloriosa
Deitate.

QUOMODO HOMO PERCIPIAT

& cognoscat, quænam Lex sit vera, & quænam sit melior aliis.

1. **D**omine **DEVS**, qui es tota nostra
 a. **D**vita & tota nostra salus! Qui vult
 intrare in meliorem & nobiliorem & uti-
 liorem inquisitionem, quæ esse possit, in-
 quirat quænam trium Legum sit vera &
 quænam sit melior; & qui in hanc nobilem
 inquisitionem velit intrare, si vult invenire
 veritatem, recipiat significationes tuarum
 Qualitatum & significationes Legum; quia
 istæ significationes eum dirigent in sua in-
 quitione.

2. Qui per istam Artem & modum in-
 quirat, Domine, quænam Legum sit vera,
 videbit in Lege vera fortiùs significari tuum
 Amorem & tuam Potestatem & Justitiam
 & Misericordiam & Perfectionem & om-
 nes alias Virtutes & Qualitates, quæ essen-
 tialiter sunt in Te; quia sicut speculum,
 quò

quò clarius & veracius est, eò meliús representat figuras, ita Lex, quæ est vera, meliús representat & demonstrat & significat tuas Virtutes & Qualitates, quàm ulla alia Lex, quæ non sit adeò bona & vera.

3. Unde benedictus sis, *Domine*, quia in hac inquisitione oportet hominem habere suum intellectum ordinatum & directum, & oportet sequi naturam ipsius, & cavere ne eum constringat vel impediat in intentione intellectuali per intentionem sensualem; quoniam si hoc faceret, suus intellectus esset inordinatus & non posset percipere & intelligere.

4. b. *Excellentis Domine, qui es altus & supremus super omnes altitudines!* Qui vult inquirere quænam Lex sit melior aliis, inquirat, quinam sit nobilior & honoratior & virtuosior & perfectior nuntius, qui Legem denuntiavit; quia ille nuntius, qui venerit cum meliori lege secundum tuam Sapientiam & Justitiam & Bonitatem & Perfectionem, significatur esse melior & perfectior in omnibus bonis, quàm alii nuntii,

qui

qui venerint cum lege non adeò bona.

5. Nuntius, qui venit cum meliori Lege, *Domine*, significatur esse ille, qui in hoc mundo est plus amatus & honoratus, & cui præstatur major gratitudo & majus servitium, quàm nuntio, qui venit cum Lege non adeò bona; quia, quò Lex vera est melior aliis contrariis veritati, eò plus debet nuntius ipsius à suo populo amari & honorari & laudari & sibi serviri: igitur per hoc significatur, quòd Lex, quæ fuit transmissa per Moysen, non sit contraria Legi Christianorum; quia si talis esset, Tu non esses justus in hoc, quòd Mahometus foret honoratior in hoc mundo, quàm Moyses: unde, quia Fides Christianorum est fructus Legis Moysis, propterea plus honoratur Moyses à Christianis, quàm Mahometus à Saracenis.

6. *Virtuose Domine!* Illa Lex, in qua sunt meliores viri & mulieres, significatur esse melior; quia Lex, quæ est vera, est digna habere populum meliorem & meliorum morum & plus devotum & obedientem &

ho-

honoratum & etiam majorem, quoniam nisi ita esset, significaretur, quòd Tu non esses perfectè justus nec sapiens nec potens in hoc, quòd viliori Legi dares meliorem & majorem & honoratiorem populum, quàm meliori & nobiliori, quæ per suam melioritatem & nobilitatem est digna habere sub se meliorem & majorem populum.

7. c. *O Domine, pro quo vigilant & laborant omnes meæ vires sensuales & intellectuales!* Illa Lex, quæ est vera, est plus extensa in suo populo secundum credentiam & finem, quàm secundum demonstrationem rationis; & hoc est, quia fides dat homini plus meriti quàm ratio, & propterea Lex, quæ stat plus in intellectualitate, est propinquior Fidei, quàm Rationi; & Lex, quæ stat plus in sensualitate, quàm in intellectualitate, est propinquior Rationi quàm Fidei: igitur, qui vult inquirere, quænam Lex sit melior, inquiret quænam sit plus profundata & naturata intrà naturam intellectualem & plus remota à natura sensualis.

fuali.

8. Aspiciendo in qua Lege, *Domine*, habeat homo plures afflictiones & angustias & labores & plures tentationes, & in qua habeat plura jejunia & plura festa & orationes, & in qua faciat majorem poenitentiam & sæpius confiteatur sua peccata, & strictiùs satisfaciat pro injuriis, significatur veritas Legis, quia omnes istæ res sunt viæ, per quas homo est dignus ire ad recipiendum præmium in gloria.

9. *Honorate Domine!* Illa Lex, quæ significat & demonstrat nullum populum posse salvari, nisi credat in Te veritatem, significat se esse veram; quia impossibile est, quòd homo possit venire ad Te, qui es Veritas, credendo in Te falsitatem: igitur illa Lex, quæ significat in quacunque credentia posse homines salvari, dum habeant bonam intentionem, significat se esse falsam, quia est contra tuam Justitiam, quæ condemnat ad damnationem omnes habentes credentiam contrariam tuæ Veritati; quoniam nisi hoc faceret, esset contraria
tuæ

tuae Veritati, & hoc est impossibile, quia in Te nulla potest esse contrarietas.

10. d. *Fortis Domine super omnes vires, vigorose Domine super omnes potestates!* Illa Lex, quæ possidetur à melioribus & sapientioribus & honorationibus & potentioribus & nobilioribus & à pluribus Clericis, significatur esse verior & nobilior aliis; quia nisi ita esset, foret inordinatio, per quam significaretur in Te defectus Potestatis vel Sapientiae vel Justitiae, quem impossibile est esse in tua Essentia, in qua est omnis Perfectio.

11. Illa Lex, in qua sunt plures Religiosi & Religiosæ, *Domine*, qui pro amore Tui deserunt gloriam mundanam, significatur vera; & similiter illa Lex, in qua sunt plures ecclesiae & plura hospitalia, & in qua fiunt plures & majores eleemosynæ ad ornandum Te & serviendum Tibi, significatur melior aliis Legibus, in quibus istæ res sunt pauciores.

12. *Gloriose Domine!* Illa Lex, in qua homines plus perseverant in oratione &

312 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
contemplatione, & in qua plures gratias
Tibi agunt, & in qua plus Te orant & pre-
cantur, ut facias gratiam & misericordiam
& indulgeas tuo populo, significat se esse
meliores aliis, in quibus sunt breviores
orationes & contemplationes, & in quibus
non aguntur Tibi tot gratiae propter mul-
tos & magnos favores, quos fecisti hu-
manae speciei.

13. e. *Rex gloriose, cui fiat reverentia &
honor!* Illa Lex significatur vera, in qua
homines sunt plus occasionati ad multum
amandum & honorandum & laudandum
Te & ad serviendum Tibi; quia, quod plus
homines sunt occasionati ad istas res, eod-
em melius significatur, quod Tu sis Dominus
& Benefactor & Condonator, & eod-
em melius significatur, quod homines sint subditi ad
obediendum omnibus tuis mandatis.

14. Inquirendo in quam Lex, Do-
mine, homines sint plus obligati & onerati
& occasionati ad laborem & paupertatem
& afflictionem & mortem pro amore Tui,
significatur quam Lex sit melior aliis;
quia

quia significatum est humano intellectui per veram rationem, quòd homines, qui plus laborant & plus faciunt pro amore Tui, sint digniores præmiari in gloria per hoc, quòd sint digniores amari à Te, quàm alii.

15. *Amorose Domine!* Illa Lex, quæ fuit aucta & multiplicata per miracula & per prædicationes & per martyria, significat se esse meliorem Lege, quæ fuit aucta per vim armorum; quia majorem nobilitatem & bonitatem significat Lex, quæ sit multiplicata per miracula & per disputationes & rationes & per viam Martyrii & prædicationis quàm Lex, quæ sit multiplicata per vires personarum amantium delectationes temporales: igitur benedictus sis Tu, *Domine*, quia omnes istæ res significantur in tua Perfectione & in Lege vera.

16. f. *Gratiose Domine, qui es fons vitæ & restauratio nostra mortis!* In illa Lege, in qua homines recordantur plus de mortuis, & in qua faciunt plures eleemosynas & plures preces pro ipsis, significatur veritas;

&

& similiter in illa Lege, in qua homines habent majorem diligentiam ad inducendum infideles ad credentiam veritatis, significatur veritas.

17. *Humilis Domine!* in Lege, in qua homines habent majores divitias, & in qua sunt potentiores, & in qua habent plures bonas consuetudines, significatur esse plus veritatis & virtutis; quia, quò populus est major & melior & meliùs ordinatus & assuefactus, eò plùs significatur, quòd Lex ipsius populi sit melior aliis.

18. In illa Lege, in qua est major dispositio & directio, ut homines sint contemptores rerum temporalium & amatores rerum cœlestium, significatur & demonstratur, *Domine*, major bonitas & major honoratio & major virtus & sanctitas, quàm in ulla aliarum, in quibus non est tanta dispositio & directio, ut homines deserant & contemnant bona temporalia ad amandum & possidendum cœlestia.

19. g. *Misericors Domine, gloriose, amoro-*
se! Illi homines, qui plùs moventur ad

operandum per primum motum, quàm per secundum, & qui plús operantur primâ intentione, quàm secundâ, significant se esse in meliori Lege, quàm alii, qui sæpius moventur per secundum motum & operantur secundâ intentione; quia opera, quæ fiunt per primum motum, habent respectum ad esse, & quæ fiunt per secundum motum, habent respectum ad rem, quæ non est digna esse, & meretur non esse; & opera, quæ fiunt primâ intentione, habent respectum ad ordinationem, & quæ fiunt secundâ intentione, habent respectum ad inordinationem.

20. In illa Lege, in qua gloria paradisi & pœna inferni meliús significantur, *Domine*, meliús significatur tua magna Bonitas, & tua magna Sapientia, & tua magna Justitia & omnes aliæ tuæ Virtutes: igitur ista Lex significat se esse meliorem omnibus aliis.

21. Cúm homini, *Domine*, sit data ordinatio inter potentias animæ & inter sensus corporales & spirituales, ut ipse sit ordinatus

ordinatus & dispositus ad serviendum Tibi, illa Lex, cujus subditi sunt meliùs ordinati in potentiis animæ, & in sensibus sensu-ali-bus & intellectualibus, significat de se ipsa, quòd plùs valeat quàm aliæ.

22. h. *Supreme Domine super omnes alti-tudines, humilis super omnes humilitates!* Qui inquirit quænam trium legum sit me-lior, inquirat in quanam earum meliùs expo-nantur & declarentur verba Prophetarum, & quænam glossæ meliùs conveniant cum textu, & quænam meliùs significant in Te tuas Virtutes; quia illa Lex, in qua ista meliùs fiunt, dat significationem de se, quòd sit melior aliis.

23. In illa Lege, in qua homo, *Domine*, credit, quòd adventus Prophetarum fuerit utilior & necessarior, significatur ve-ritas; quia, quò utilius & magis necessarium est opus, eò meliùs significatur ipsum esse à Te ordinatum & directum ad dirigen-dum & ordinandum & restaurandum tuum populum; quoniam, quò res est utilior & magis necessaria, eò plùs significat causam

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Ca. CLXXXVIII. 3 17
finalem, & elongatur à casualitate, & quò
minús utilis & necessaria est res, eò minús
significat causam finalem, & eò propinquior
est casualitati.

24. Qui per veras significationes & per
vivas rationes sensuales & intellectuales ve-
lit, *Domine*, quærere & invenire & proba-
re argumentativè per necessarias rationes
quænam Lex sit melior aliis, faciat se capa-
cem hujus Libri *Contemplationis*, vel Libri
Petitionum & Questionum, quia per hos
Libros poterit certò scire, quænam trium
Legum sit vera & melior, & per quam ho-
mo perveniat ad perdurabilem gloriam, &
de hoc etiam poterit certificare alios.

25. i. *Juste Domine, in quo nullus homo
recipit injuriam nec obliquitatem!* Lex, quæ
significat & demonstrat majorem æqualita-
tem debere esse inter maritum & uxorem,
significatur melior Lege, quæ non mandat
tantam æqualitatem inter ipsos, & simili-
ter Lex, quæ obligat hominem ad plús
amandum suum proximum & ad plús in-
dulgendum ei, significatur vera & melior
aliis,

aliis, in quibus homo non habet tantam obligationem amandi & indulgendi.

26. In illa Lege, *Domine*, in qua plus prohibetur & cavetur, ne homo sit superbus nec vanigloriosus nec usurarius nec inventor vanitatum nec latro nec homicida nec luxuriosus nec proditor, significatur veritas; quia Lex, quæ fortius evitat peccata, significat se plus valere quàm aliæ, quæ non adhibent tantam vim in evitando ipsa.

27. In illa Lege, in qua homo, *Domine*, est obligatus ad amandum suum inimicum, significatur esse veritas; quia nulla obedientia est major obedientiâ Legis, quæ præcipit homini amare suum inimicum; & in quantum ista obedientia est major, in tantum significatur, quòd Lex sit vera & melior aliis, in quibus non præcipitur tanta obedientia.

28. K. *Domine DEVS*, qui scis omnes scientias, & à cujus sapientia descendunt omnes sapientia! In illa Lege, in qua homo habet plures tentationes, & in qua plus re-

sistit dæmoni & suis sensualitatibus, significatur veritas; quia per vincere multas tentationes & per superare dæmonem & per vincere se ipsum est homo dignus cœlesti gloriâ.

29. In illa Lege, *Domine*, in qua populus plûs amat suum Principem, & est ei plûs fidelis, quàm in alia Lege, significatur veritas, quia amare suum Regem & esse ei fidelem est mandatum à Te, qui constituisti Principes super terram ad ordinandum & custodiendum tuum populum: igitur in quantum populus est amabilior & fidelior erga suum Principem, in tantum demonstratur Lex, in qua est, esse melior Lege, in qua populus non est adeò amator & fidelis erga suum Principem.

30. Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & honor, quia per omnes istas significatio- nes prædictas & per plures alias significatur & demonstratur, quænam Lex sit vera, & quænam plûs valeat, quàm aliæ: igitur si- cut folia & flores significant æstatem, ita tuæ Qualitates & qualitates trium Legum

fig-

320 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
significant sensualiter & intellectualiter,
quænam Lex sit melior; sed quia homines
nescii non sciunt recipere veras significatio-
nes sensuales & intellectuales, sunt sicut
cœci, quibus folia & flores per visum cor-
poralem non significant ætatem; quoniam,
sicut per privationem visus corporalis pri-
vantur cœci significationibus sensualibus,
ita per privationem visus intellectualis pri-
vantur nescii significationibus intellectua-
libus, ratione cujus privationis ignorant,
quænam sit Lex, quæ plus placet suo Do-
mino DEO.

CAPUT CLXXXIX.

*QVOMODO PERCIPIANTVR ET
intelligentur significationes, quibus signifi-
catur, an homo sit in statu Salvationis
vel in statu Damnationis.*

1. **D**EVS Creator & Domine, cui de-
a. **D**atur gloria & laus omni tempore! Qui
vult inquirere & percipere significationes,
per

per quas significatur homini salvatio vel damnatio, oportet, quòd eas inquireat in libera voluntate, quæ est data homini ad lucrandum meritum gloriæ vel pœnæ; quam liberam voluntatem percipit homo intellectualiter, quia ipsa est res intellectualis.

2. Quando libera voluntas hominis, *Domine*, se inclinât ad faciendum bonum, homo meretur gloriam, & quando se inclinât ad faciendum malum, homo meretur pœnam; & quia meritum gloriæ vel pœnæ formatur & generatur in libera voluntate hominis, propterea, qui vult percipere & scire an sit in statu gratiæ vel in statu peccati, hoc inquireat in libera voluntate, quia in ea poterit hoc percipere & invenire.

3. Si libera voluntas, *Domine*, eligat facere bona opera, statim formantur & significantur significationes & demonstrationes salvationis, & si eligat facere mala opera, statim formantur & significantur significationes & demonstrationes damnationis; sed quia salvatio & damnatio sunt homini in

X

hoc

hoc mundo res intellectuales, propterea significationes ipsarum sunt intellectuales, & significantur per opera sensuality & intellectualia: igitur propterea oportet, quòd istæ significationes & demonstrationes accipiantur sensualiter & intellectualiter.

4. b. *Rex excellens virtuose, á quo venit omnis gratia & omnis benedictio!* Tu scis, *Domine*, quòd veritas & amor ordinatus & patientia & spes & justitia & misericordia & fidelitas & humilitas & omnes aliæ virtutes, quæ sunt in homine, sint signa & significationes & demonstrationes salvationis.

5. Sicut semitæ sensuales sunt viæ, per quas homo pervenit ad loca, versús quæ est mobilis, ita, *Domine*, virtutes sunt viæ intellectuales, per quas homo tendit & pervenit ad perdurabilem gloriam; & sicut homo per virtutes pervenit ad perdurabilem gloriam, ita per vitia pervenit ad perdurabilem poenam.

6. Qui vult elevare suum intellectum ad cognitionem rerum intellectualium,

oportet, *Domine*, quòd prius ducat ipsum per res sensuales, quia istæ sunt infimus gradus, per quem homo ascendit ad cognitionem supremi: igitur, cum hoc ita sit, qui vult habere cognitionem de sua salvatione vel damnatione, prius recipiat in suo intellectu signa & significationes rerum sensualium, & postea poterit recipere signa & significationes rerum intellectualium, & per significationes rerum intellectualium poterit percipere & intelligere signa significantia salvationem vel damnationem.

7. c. *Gloriose Domine, á quo veniunt & descendunt omnes nostræ potestates & omnes nostræ vires!* Quia homini existenti in hoc mundo sunt res intellectuales gloria & pœna alterius sæculi, propterea sola signa sensuality non sufficiunt ad dandum certificationem de salvatione vel damnatione; quia homines, qui jejulant, & faciunt eleemosynas, & dicunt verba humilia, & induunt viles pannos, & sustinent multas afflictiones, possunt habere in istis rebus falsam & inordinatam intentionem; & ideo signa sen-

sensualia non sufficiunt generaliter ad significandum salvationem vel damnationem.

8. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia similiter accidit in signis sensualibus, quæ homines faciunt bene comedendo & induendo & jacendo, quia potest esse, quòd hoc faciant ad occultandum gentibus suam devotionem & suam bonam intentionem; & propterea signa sensualia sine intellectualibus non sufficiunt ad significandum salvationem vel damnationem.

9. Igitur, cum signa sensualia, *Domine*, non sufficiant ad demonstrandum salvationem vel damnationem, quia multoties fiunt falsò & contra veritatem, propterea oportet hominem recurrere ad signa intellectualia, ut per ea suppleatur id, quod deficit sensualibus; quoniam in istis signis non est ulla falsitas nec ulla astutia, dummodo verè percipiantur.

10. d. *Perdurabilis Domine*, in quo non est principium nec finis! Quia duæ intentiones, quæ sunt in homine, sunt res intellectuales,

tuales, propterea sunt subjecta, in quibus intellectualiter significatur salvatio vel damnatio; quoniam si homo Te orat, & ad Te clamat, & Te precatur per primam intentionem, & jejunit & affligit suam carnem, & facit eleemosynas per primam intentionem, significatur, quod ipse sit in statu salvationis; sed si homo facit omnia prædicta per secundam intentionem, significatur, quod ipse sit in statu damnationis.

11. Id per quod homo, *Domine*, melius potest percipere signa demonstrantia salvationem vel damnationem, est cognitio duarum intentionum; quia cognoscendo ambas intentiones significatur salvatio vel damnatio; & ratio & causa, quare hoc ita est, consistit in ordinatione vel disordinatione illarum; quia ordinatio significat salvationem, & disordinatio significat damnationem.

12. Si homo, *Domine*, amet & velit & honoret aliquam rem vel ei serviat intentione, quæ est digna esse prima, significatur, quod operatio sit ordinata; sed si eam

amet

amet & velit & honoret & ei ferviat intentione, quæ non est digna esse prima, significatur, quòd operatio sit mala: igitur per hoc probatur & demonstratur, quòd signa salvationis & damnationis consistant in duabus intentionibus.

13. e. *O Domine, une in Trinitate, sine pari & socio, gloriose in omnibus gloriis!* Qui vult inquirere & invenire signa significantia salvationem & signa significantia damnationem, inquiret eam in potentiis animæ; quia, si potentia rationalis sit Domina potentia sensitivæ, significatur, quòd homo sit in statu salvationis; sed si potentia sensitiva non velit obedire rationali & sit Domina ipsius, significatur, quòd homo, in quo est ista inordinatio, sit in statu damnationis.

14. Quando potentia imaginativa, *Domine*, est magis obediens potentia rationali quàm sensitivæ, significatur, quòd homo sit in statu salvationis; quia, quò plus potentia rationalis est Domina imaginativæ, eò plus contemplatur homo in tua Bonitate & in

vilitate hujus mundi; sed quando potentia imaginativa est magis obediens sensitivæ, quàm rationali, significatur, quòd homo sit in statu damnationis; quia, quò plus imaginativa est subdita sensitivæ, eò ferventiùs imaginatur homo & amat vanitates hujus mundi, obliviscendo tuam gloriosam Gloriam & tuam excellentem Bonitatem.

15. Quando potentia motiva, *Domine*, sæpiùs movetur à potentia rationali, quàm à sensitiva, significatur, quòd homo sit in statu salvationis; sed quando potentia motiva sæpiùs movetur à potentia sensitiva quàm à rationali, significatur, quòd homo sit in statu damnationis, & ista signa potest homo sumere in se ipso inquirendo statum potentiæ suæ animæ.

16. f. *O Domine DEVS, qui es spes & consolatio pauperum in Te confidentium!* In ordinatione vel disordinatione, quæ est in sensibus sensualibus & in intellectualibus, significatur, an homo sit in statu salvationis vel damnationis; quia ordinatio sensuum sensualium & intellectualium est demonstratio

monstratio & certificatio salvationis, & disordinatio ipsorum est demonstratio & certificatio damnationis.

17. Ratio, quare ordinatio sensuum sensualium & intellectualium significat salvationem, *Domine*, est, quia ipsa est via recta, per quam sensus sensuales incedunt per obligationem, in qua sunt obligati ad esse obedientes & subditi sensibus intellectualibus; & ratio, quare inordinatio sensuum sensualium & intellectualium significat damnationem, est, quia ipsa est via obliqua, per quam sensualitates ascendunt supra intellectualitates, & per quam intellectualitates descendunt & cadunt in servitutum sensualitatum.

18. Igitur omnis homo, qui velit percipere & cognoscere, *Domine*, an sit in statu salvationis vel damnationis, poterit hoc percipere & cognoscere in se ipso aspiciendo suos sensus sensuales & intellectuales, & attendendo an sint ordinati vel inordinati, & an sensus sensuales sint obedientes intellectualibus, quia tali inquisitione & cog-
nitione

nitione potest homo cognoscere significationes demonstrantes saluationem vel damnationem.

19. g. *Virtuose Domine super omnem virtutem, nobilis super omnem nobilitatem!* Qui vult inquirere & invenire signa, in quibus significantur salvatio & damnatio, inquireat ea in perfectione & in defectu; quia illa res, quæ est perfectio, dat demonstrationem & certificationem de saluatione, & illa res, quæ est defectus, dat demonstrationem & significationem de damnatione.

20. Igitur, cum Tu, *gloriose DEVS*, sis fons & flumen & mare perfectionis, à quo veniunt & descendunt omnes aliæ perfectiones, qui vult percipere saluationem, in tua mirabili Perfectione poterit eam invenire & cognoscere; & qui vult percipere damnationem, poterit eam invenire & cognoscere in defectibus, qui sunt in homine; quia omnes ipsi defectus provenientes à peccato & culpa dant demonstrationem de damnatione.

21. Ratio, quare ego, *Domine*, percipio

cipio meam saluationem in tua Perfectio-
ne, est, quia tota tua Deitas significatur
meæ animæ plena donis & indulgentiis &
humilitate & pietate & misericordiâ; & ra-
tio, quare percipio meam damnationem
in meis defectibus, est, quia totum meum
corpus & totam meam animam sentio in
culpâ & peccatis & vitiis, propter quæ non
sum dignus esse in tua gloriosa præsen-
tia.

22. h. *Rex amorose, qui regis omnia ex-
trema maris & terrarum & cælorum! Mul-
tos homines peccatores vidi, Domine, in
quorum morte vidi significationes & de-
monstrationes saluationis, quia valde bene
confitebantur sua peccata, & pœnitebat
eos ipsorum, & confidebant in tua dulci
Misericordia: igitur illa signa sunt mihi
significationes & demonstrationes meæ sal-
uationis; quia, sicut illis in morte eras
pius & misericors, licet essent peccatores,
ita licet ego sum valde peccator & culpa-
bilis, tamen confido in tua Misericordia,
quod mihi facies gratiam in mea morte.*

23. Multos

23. *Domine*, mori morte, in qua significabatur
sua damnatio, & illa significatio mihi sig-
nificat & demonstrat meam damnationem;
quia sicut ipsi moriendo in peccato sunt
digni damnatione, ita ego miser plenus
multis gravibus peccatis sum dignus judi-
cari ad sustinendum perdurabiles poenas.

24. Benedictus sis Tu, *Domine DEVS*;
quia quando tuus servus memoro & ima-
ginor tuam magnam Misericordiam, perci-
pio & cognosco in ea significationes meae
salvationis; & quando memoro & imagi-
nor tuam magnam Justitiam & meos mor-
tales defectus, percipio & cognosco meam
damnationem; & propterea non scio an ero
memoratus in tua pia Misericordia, vel an
ero judicatus per tuam justam Senten-
tiam.

25. i. *Creator Domine, cui obediunt omnes
creatura!* Quia ego ratione tuae magnae Mi-
sericordiae video meam salvationem, & ra-
tione tuae magnae Justitiae & meorum mor-
taliū defectuum video meam damnatio-

332 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nem, & non sum certificatus de una nec
de alia, propterea vado ad figuram sanctæ
Crucis, in qua inquiram in sex rectitudi-
nibus ipsius meam salvationem vel meam
damnationem.

26. Quando ego, *Domine*, sum ante
figuram sanctæ Crucis contemplando & in-
quirendo signa meæ salvationis in capite
ipsius, in quo tuum Caput fuit vulneratum
multis vulneribus, invenio signa meæ dam-
nationis, quia non abstuli meum cor à re-
bus imis, nec ipsum elevavi ad contempla-
tionem tuarum altitudinum; & quando in-
quiro signa meæ salvationis in inferiori
rectitudine Crucis, in qua tui pedes fuerunt
clavis affixi, invenio signa meæ damnatio-
nis, quia memoro, quòd non fuerim obe-
diens & subditus tuis mandatis; & quando
quæro signa meæ salvationis in rectitudine
anteriori Crucis, in qua tuum Corpus pe-
pendit, invenio signa meæ damnationis,
quia memoro, quòd in principio meorum
dierum & in mea juventute Te disamave-
rim ad amandum vanitates mundanas; &

quando inquirō signa meæ saluationis in
rectitudine posteriori Crucis, in qua fue-
runt percussī & firmati clavi, quibus eras
affixus, percipio signa meæ damnationis,
quia memoro, quòd multoties fuerim obli-
tus Tui, & fuerim memor vilium rerum;
& quando inquirō signa meæ saluationis
in dextera Crucis, in qua brachium Justi-
tiæ fuit affixum, percipio meam damna-
tionem, quia sum memor meorum peccato-
rum, per quæ mereor damnationem; &
quando inquirō signa meæ saluationis in
sinistra Crucis, in qua brachium Miseri-
cordiæ fuit affixum, percipio meam dam-
nationem, quia memor sum mearum vili-
tatum, ratione quarum non sum dignus esse
in gloria nec in tua præsentia.

27. Quando in omnibus sex rectitudi-
nibus Crucis non possum invenire meam
saluationem, *Domine*, sum tanquam homo
deviatus & tristis nesciens ad quam partem
se vertat nec quid faciat; & dum ignoro
meam saluationem, & nescio, versus quam
partem eam inquiram, me verito ad tuos
oculos,

oculos, qui ploraverunt nostra peccata; & ad tuum cor, quod fuit vulneratum & partitum pro nostra salute: & tunc in plorantibus tuorum oculorum & in magno amore & dulci misericordia tui cordis video meam salutem & meam salvationem.

28. K. *Honorate Domine, laudate, invocate!* Sicut est signum salvationis amare Te, & amare id, quod Tu amas, & amare amantes Te, & amare amantes id, quod Tu amas, & amare amantes illos, qui Te amant; ita est signum damnationis non amare Te, & non amare id, quod Tu amas, & non amare amantes Te, & non amare amantes id, quod Tu amas, & non amare amantes illos, qui Te amant.

29. Signum salvationis est, *Domine*, quando homo se videt à gentibus inhonorari & contemni pro tuo amore, & quando homo sentit tentationes & eas vincit, & quando homo se videt depauperari & torqueri pro tuo amore; sed supremum signum salvationis est quando homo pro tuo amore se videt vulnerari & martyrizari &

mori.

mori.

30. Sicut est signum salvationis in homine juvene, *Domine*, ipsum videre in sua juventute facere bona opera & poenitentiam, ita est signum damnationis in homine juvene ipsum videre in sua juventute facere mala opera & proponere facere poenitentiam in senectute; quia illi homines, qui nolunt Te amare & honorare & Tibi servire in illo tempore, in quo amor & honor & servitium essent meliora & majora & plus Tibi acceptabilia, non merentur, quod suum servitium acceptetur & recipiatur in tempore, in quo parum honoris & amoris & servitii potest fieri nostro Domino JESU Christo.

CAPUT CXC.

QUOMODO HOMO PERCIPIAT

& cognoscat tentationes.

1. **O** DEVS perfecte in omnibus bonis,
a. **O** virtuose super omnes virtutes! Tibi,
Domine,

Domine, sit gloria & laus semper; quia Tu scis, quòd in homine sint duæ naturæ subjectæ tentationibus, scilicet natura sensualis & natura intellectualis: igitur, quia istæ duæ naturæ sunt subjecta, in quibus homo tentatur, propterea tentatio est in ipso duplex, scilicet sensualis & intellectualis, & tentatio sensualis fit in sensibus sensualibus, & tentatio intellectualis fit in sensibus intellectualibus.

2. Quælibet tentatio, *Domine*, sive sit sensualis sive intellectualis, potest fieri in sex rebus, scilicet in potentiis animæ, & in tribus Virtutibus ipsius, & in duobus motibus, & in duabus intentionibus, & in perfectione & defectu, & in alteratione sensuali & intellectuali: igitur istæ sunt sex viæ, per quas tentatio pervenit ad hominem in similitudinem sex rectitudinum, quæ sunt in ipso.

3. Cùm tentatio sive sensualis sive intellectualis, *Domine*, incedat per aliquam vel aliquas sex prædictarum viarum, qui velit percipere, quænam res sit tentatio,

oportet,

oportet, quòd attendat ad octo res, quarum duæ sunt subjectæ prædictis sex, hoc est, quòd natura sensualis & intellectualis sint subjecta, in quibus possunt fieri tentationes sex modis prædictis.

4. b. *Fortis Domine, á quo veniunt & descendunt omnes nostra vires!* Tentatio evenit in homine per visum corporalem, quia videndo aliquam rem pulchram vel videndo aliquam rem amatam vel aliquam rem turpem vel odio habitam vel aliquam rem similem rebus prædictis cadit homo in tentationem amando vel odiendo vel dubitando vel affirmando: igitur ista tentatio incipit in sensualitate per visum corporalem & postea formatur in sensibus spiritualibus.

5. Audire verba placentia & amabilia, *Domine*, vel audire verba displicentia & odibilia est occasio tentationis sensualis vel intellectualis, quia per sensualitatem potest homo tentari in intellectualitate, & per auditum sensualem potest tentari in ipsamet sensualitate, cum tentatio per quancun-

Y

que

338 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
que occasionem intret in hominem, extendatur per totum ipsum.

6. Per odorari odores cadit homo, *Domine*, sensualiter in tentationem sensualem vel intellectualem, quia odores excitant in eo recordationes & dant ei cogitationes & imaginationes de aliquibus rebus sensualibus, per quas anima tentatur intellectualiter in sua memoria & in sua imaginativa & in voluntate.

7. c. *Domine spes & benedictio omnium illorum, qui in Te confidunt!* Quando homo comedendo vel bibendo gustat res sapidas, cadit in tentationem intellectualem per imaginationem & per recordationem illarum rerum sapidarum, quæ tentatio est composita ex sensualitate & intellectualitate, quia in sensualitate incipit tentatio & in intellectualitate formatur per desiderare & imaginari & per opinari vel dubitare.

8. Quando homo, *Domine*, sensualiter palpat vel tangit & sentit res placentes vel displicentes tactui, incipit ei venire tentatio per illam sensualitatem, quia anima in-

cipit

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CXC. 339
cipit amare vel odire illam sensualitatem,
& per illum amorem vel odium tentatur
ad aliquam inordinationem, ut cadat in
defectum.

9. *Gloriose Domine!* Per omnes istos
quinque sensus corporales intrat in homi-
nem sensualis tentatio, quæ impedit & in-
ordinat animam ipsius, & facit eam ten-
tari in se ipsa desiderando & amando vel
odiendo res sensuales, ut homo sensualiter
& intellectualiter sit in peccatis & vitiis, à
quibus non potest se defendere, nisi cognos-
cat tentationes, per quas veniunt peccata
& vitia, quæ potest homo evitare morti-
ficando tentationes, per quas ipsa acciden-
taliter generantur.

10. d. *O JESU Christe Domine, qui*
fuisti conceptus de sancto Spiritu & fuisti na-
tus & crucifixus, & qui descendisti ad infe-
ros & resurrexisti & ascendisti ad cælos, &
qui venturus es judicare bonos & malos! Tu
scis, quòd homo tentetur intellectualiter in
cogitatione; quia si ipse cogitet in aliqua
re bona, ex qua sequatur utilitas, venit
dæmon

dæmon & tentat eum, ut faciat eum cogitare aliam rem, ex qua sequatur damnum; & si homo cogitet in aliqua re vitiosa & ex qua sequatur peccatum, Angelus tentat ipsum in cogitatione, ut faciat eum cogitare in aliqua re virtuosa.

11. *Amorose Domine, gratiose!* Quando homo percipit & cognoscit aliquam rem sensualem vel intellectualem, venit dæmon & tentat ei perceptionem & cognitionem, ut faciat eum ignorare & discognoscere illam rem, & hoc facit dæmon, ut per ignorantiam possit ipsum inducere ad errorem & defectum & ad culpam & peccatum.

12. Quando homo, *Domine*, habet in aliqua re veram conscientiam ordinatam & directam per tuam gratiam, dæmon tentat ei conscientiam & incrassat ipsam quantum potest, ne habeat conscientiam de re, de qua debet eam habere; & quando dæmon non potest homini incrassare conscientiam, tentat eum cum subtilitate, ut faciat ipsam subtiliorem, quàm oporteat, &

ut det homini conscientiam de rebus, de quibus non oportet eam habere, ne habeat ipsam in rebus, in quibus oportet eam habere.

13. e. *Virtuose Domine super omnem virtutem, á quo veniunt & descendunt omnes virtutes!* Quando homo se vult subtiliare in aliqua sensualitate vel intellectualitate ad faciendum aliquid ad tuam laudem & ad tuum beneplacitum, dæmon, qui est totaliter contrarius tuæ Voluntati, tentat ipsum per subtilitatem sensualem vel intellectualem; quia si homo velit esse subtilis in aliqua sensualitate, dæmon subtiliat eum in intellectualitate, ut impediatur in sensualitate; & si ipse velit esse subtilis in aliqua intellectualitate, dæmon eum subtiliat in sensualitate, ut impediatur in intellectualitate.

14. Quando homo, *Domine*, est animosus ad faciendum aliquod bonum opus, dæmon venit ad animositatem ipsius, & tentat, an possit eam minuere, quia multa bona opera perficerentur, si homo ea tractaret

taret magno fervore & animositate ; & si dæmon non potest minuere homini animositate , tentat an possit eam multiplicare, ut per nimietatem animositatis opus recipiat inordinationem ; quia, sicut per nimis paucam animositate perduntur multa bona opera incepta, quæ non veniunt ad perfectionem , ita per nimis multam veniunt multa bona opera ad destructionem, quæ reciperent perfectionem, si homo non haberet tantam animositate.

15. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia omnibus prædictis modis venit homini tentatio sensualis vel intellectualis ; & quando tentatio est sensualis, fit in quinque sensibus corporalibus ; & quando ipsa est intellectualis, fit in quinque sensibus spiritualibus : igitur, qui velit percipere & cognoscere, unde veniat, & ubi fiat & formetur tentatio, oportet, quòd eam inquiret in sensibus corporalibus & in spiritualibus, quia in eis poterit eam cognoscere & scire.

16. f. *Gloriose Domine super omnes glorias, honorate super omnes honorationes ! In*

potentia sensitiva tentat dæmon hominem; quia per hoc, quòd ista potentia sit radix & principium, in quo incepit peccatum in primo homine, est tota in defectu & corruptione, & propterea in ipsa dæmon tentat hominem; & quando dæmon tentat hominem in potentia sensitiva per aliquam vanitatem vel placitum inordinatum, Angelus tentat ipsum in potentia rationali, per quam pervenit homo ad tuam perfectionem: igitur, in quantum dæmon vult hominem inducere ad defectum per potentiam sensitivam, in tantum Angelus vult eum inducere & dirigere ad perfectionem per potentiam rationalem.

17. *Amabilis Domine!* Dæmon tentat hominem in potentia imaginativa; quia ea, quæ sunt possibilia, facit eum imaginari & opinari esse impossibilia; & ea, quæ sunt impossibilia, facit eum imaginari & opinari esse possibilia, & hoc facit, ut homo sit perturbatus & impeditus & indirectus, & ut habeat ignorantiam, per quam pervenit ad culpam & defectum.

18. *Gra-*

18. *Gratiose Domine!* Angeli tentant hominem in potentia imaginativa; quia, quando ipse habet suam imaginationem & ordinationem in aliqua re, Angeli eam elevant ad potentiam rationalem, ut recipiat formam & gratiam & benedictionem in ipsa ad eligendum & faciendum id, quod est tuum placitum & tuus honor & tua laus; sed dæmones faciunt oppositum, quia in quantum possunt, conantur impedire ne homo elevet suam imaginationem ad potentiam rationalem, nec eam auferat à potentia sensitiva, ut ista eam faciat cœcè & inordinatè incedere per vias peccati.

19. g. *O Domine DEVS, qui adificasti & creasti & ordinasti mundum!* Quando mens hominis stat in potentia rationali, & tractat de aliquo bono opere pro tuo amore, venit dæmon & tentat hominem per negligentiam & pigritiam, ne moveatur ad incipiendum & faciendum illud opus; & si homo recipit in sua mente pigritiam & negligentiam, est obediens tentationi dæmonis.

20. Quando potentia rationalis, *Domine*, præcipit potentia motivæ, ut adducat in actum rem, quam ipsa elegit facere, dæmon tentat hominem in potentia motiva cum potentia sensitiva & cum imaginativa, ut ipsa motiva sit obediens rationali, & se inclinet & subdat potentia sensitivæ in natura contrariæ ipsi rationali.

21. Quando homo, *Domine*, incedit per primum motum, dæmon tentat eum, ut incedat per secundum motum, quia omnia bona fiunt per primum motum, & omnia mala fiunt per secundum; & quando homo habet ambas intentiones ordinatas, dæmon tentat eum in inordinatione earum; quia sicut bona opera fiunt per ordinationem intentionum, ita mala fiunt per inordinationem earum.

22. h. *Director Domine, Adjutor plene misericordiæ & indulgentiis*; Quando homo occasione memorat aliqua bona, dæmon tentat eum in memoria, & conatur, quantum potest, eum inducere ad memorandum casualiter; & hoc facit, ut memoriam ho-

minis

minis possit amovere à bonis memorationibus & ipsam inducere ad malas; quia facilius ducit dæmon memoriam hominis quò vult, quando ipsa memorat casualiter, quàm quando memorat occasionatè.

23. Quando accidit, *Domine*, quòd homo habeat veram intelligentiam & certam cognitionem de aliqua re, venit dæmon, & tentat intellectum ipsius, & eum excoecat in quantum potest; & si dæmon non potest deviare intellectum hominis per falsas rationes habentes similitudinem veritatis, tentat eum per fidem, & facit eum credere illas res, quas posset intelligere si vellet; & quando homo stat in fide & credentia per tentationem dæmonis, venit dæmon & tentat eum per falsam fidem & credentiam ne utatur intellectu nec verâ fide.

24. Quando homo, *Domine*, vult facere aliquam rem pro tuo amore, dæmon tentat voluntatem ipsius, ut velit aliam rem, quæ non est digna amari à tua Voluntate; & si dæmon non possit inducere hominem

minem ad malam voluntatem, conatur quantum potest bonam voluntatem ipsius mutare in aliam bonam voluntatem diversam & discordantem à prima, & hoc facit, ut possit occupare & impedire & deviare bonam voluntatem hominis & ipsum inducere ad malam.

25. i. *O Domine DEVS, propter quem mei oculi plorant, & meum cor est in amore!*

Quando homo habet aliquas indigentias & necessitates, & vult habere illas res, quibus indiget, dæmon tentat voluntatem ipsius, & dat ei superfluitatem, per quam non habeat perfectionem in re, in qua eam haberet, si secundum suas necessitates mensuratè reciperet res intentione habendi perfectionem.

26. Quando homo, *Domine*, in aliqua sensualitate vel intellectualitate habet indigentiam vel superabundantiam, natura sensualis vel intellectualis naturaliter requirit habere res, quibus indiget, vel temperamentum rerum, quarum habet superabundantiam; sed dæmon, ut possit hominem

de-

348 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
deviare à perfectione, tentat eum cum defectu, qui est in nimia abundantia & in nimia indigentia; quia per ista duo extrema deviator homo à via perfectionis.

27. Quando dæmon tentavit hominem per superfluitatem in nimio comedere & bibere vel in nimio memorare & imaginari, & sic de aliis rebus sensualibus vel intellectualibus, vel quando eum tentavit per nimia jejunia vel per nimias afflictiones, mutat ipsum in defectum, ut per defectum homo devietur & elongetur à perfectione, & ratione privationis perfectionis non possit pervenire ad supremam perfectionem.

28. *K. Singularis Domine, in quo non est culpa nec injuria!* Quando homo utitur directè & verè naturâ sensuali secundum cursum naturæ sensuales, dæmon per modum alterationis tentat ipsum, & vult facere eum intelligere res, quæ sunt secundum cursum sensuale, esse secundum cursum intellectualem; & quando homo verè utitur naturâ intellectuali intelligendo res, quæ sunt secundum cursum intellectualem,

dæmon tentat eum & vult, quòd attribuat & iudicet res, quæ sunt secundùm cursum intellectualem, esse secundùm cursum sensualem.

29. Quando homo, *Domine*, habet cognitionem de bono & de malo, dæmon vult ei alterare cognitionem in ignorantiam faciendo ei apparere bonum in similitudinem mali, & malum in similitudinem boni; & hoc facit dæmon, ut homo faciendo bonum putet facere malum, & faciendo malum putet facere bonum.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine DEVS*, Te laudat & agit Tibi gratias, quia ei dedisti cognitionem & modum, per quem potest percipere octo modis prædictis omnes tentationes, quas potest homo mortificare & vincere, dummodo habeat cognitionem de ipsis amando & laudando & glorificando suum Dominum DEUM.

CAPUT

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat, *quanam res sint culpa & pec-*
catum.

1. **O** *DEVS* magne in omnibus magni-
tudinibus! **O** *DEVS* mirabilis su-
per omnia mirabilia! Sicut sol inter diem &
noctem facit suum cursum per viginti qua-
tuor horas, ita, *Domine*, peccatum intrat in
hominem per viginti quatuor vias; & sicut
sol mutatur de una hora in aliam, ita pec-
catum mutatur de una via in aliam; & si-
cut calor solis augetur in una hora & mi-
nuitur in alia, ita peccatum augetur in una
via & minuitur in alia.

2. *Viginti quatuor via*, per quas pecca-
tum intrat in hominem, *Domine*, sunt quin-
que sensus sensuales, & quinque intellectu-
ales, & quinque potentie anima, & tres Virtu-
tes ipsius, & inordinatio duarum intentionum,
& duo motus, & defectus, & verba, & signa
vel nutus: igitur quodcumque sit peccatum,

per istas viginti quatuor res poterit ipsum cognoscere & percipere, qui volet ipsum inquirere.

3. *Humilis Domine plene gratiâ!* Sicut aqua recipit colorem illius rei, quæ ei substat, ita peccatum recipit formam cujuscunque viginti quatuor viarum prædictarum; & sicut aqua alteratur in colore secundum quod sunt colorata loca, per quæ transit, ita peccatum mutatur & alteratur transeundo de una via in aliam.

4. b. *Pater cælestis, á quo omnia bona descendunt & derivantur!* Tu scis, Domine, quòd peccatum generetur per *Visum* corporalem, quia videre pulchras res est homini occasio amandi ipsas, & per istum amorem obliviscitur homo Creatoris illarum; & in quantum res sunt pulchræ & placentes visui, in tantum sunt homini occasio peccandi in eis; quia, Tu creasti creaturas in pulchra forma & dispositione, ut homo videndo pulchritudinem earum cognoscat & amet Creatorem, qui adeò pulchras creaturas creavit: igitur in quantum
creaturæ

352 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
creaturæ sunt pulchræ, in tantum debet
homo laudare & benedicere Creatorem ip-
farum.

5. *Gloriose Domine! Audire* verba est
homini occasio peccati, quia si verba dicantur
ad tuam laudem, & homo ex eis non
habeat placitum, peccat; & si verba di-
cantur in tuum dedecus, & homo non ha-
beat ex eis displicentiam, peccat; & si ver-
ba dicantur in laudem illorum, qui ea au-
diunt, & ipsi ex eis vaniglorientur, pec-
cant; & si verba sint reprehensiva & vili-
pensiva alicujus hominis, & ipse audiendo
ea non habet patientiam, peccat; & si sint
verba demonstrantia sapientiam, & homo
nolit ea recipere, peccat: igitur omnibus
istis modis & pluribus aliis est auditus ho-
mini occasio peccati.

6. *Honorate Domine! Odorari* est ho-
mini occasio peccati, quia boni odores quan-
doque movent corpus ipsius ad luxuriam
& ad vanas delectationes, & mali odores
movent ipsam ad aversionem & contemp-
tum rerum proficuarum: igitur, quia homo

per

per odorari habet motum ad peccatum, ideo odoratus est via, per quam venit homini peccatum.

7. c. *Vere Domine!* Quando homo gustat dulcia & sapida victualia, & inordinate utitur ipsis in suo comedere & bibere, *Gustus* est via, per quam venit ei peccatum; quia victualia sapida sunt data homini, ut per ipsa sit memor & amator sui Creatoris: igitur quando homo plus amat victualia, quam suum Creatorem, per suum gustum fit peccator.

8. Quando homo, *Domine*, palpat, & sentit res placidas & delectabiles *Tactui* & amat eas, & per illum amorem obliviscitur *Tui*, qui das illas res placidas & delectabiles tactui, tunc cadit in peccatum per tactum, qui est ei occasio peccati, quando ipso utitur inordinate; quia, sicut Tu dedisti homini tactum & alios sensus, ut sint ei occasio faciendi bonum, ita ipsi sunt ei occasio peccati, quando utitur eis inordinate.

9. Unde benedictus sis, *Domine DE-*

Z

VS,

VS, quia per istos quinque sensus sensuales cadit homo in peccatum in sensualitate, & de sensualitate transit peccatum ad intellectualitatem: igitur omnia peccata, quæ sensualiter generantur in homine, veniunt ei per quinque sensus sensuales, qui sunt viæ & portæ, per quas peccatum sensuale intrat in ipsum: igitur, qui peccata sensuاليا vult inquirere & scire & percipere, in istis quinque viis ea inquirat.

10. d. O Rex gloriose, qui natus es de Virgine gloriosa! Quando homo casualiter cogitat in aliqua re mala, est peccatum veniale, & si cogitet in ipsa occasionatè, tunc peccatum est majus quàm antea; & si homo, *Domine*, casualiter cogitet in aliqua re bona & non format occasionem vel causam in sua *Cogitatione*, & finit suam mentem cogitare casualiter, tunc est peccatum veniale, quia homo semper est obligatus tenere suam mentem occasionatè in bona cogitatione, & non sinere eam cogitare casualiter, nisi fortè hoc faceret, ut eam quietaret & quiescere faceret à laboribus intellectualibus

lectualibus generatis per nimium cogitare & imaginari.

11. Quando humanæ *Perceptioni, Domine*, significantur veræ significationes, & ipsa non vult nec scit eas recipere & percipere, & impedit se ipsam in receptione veritatis, & affirmat falsitatem recipiendo falsas significationes, tunc generatur peccatum in homine per perceptionem inordinatam per impedimentum alicujus rei sensualis vel intellectualis, à quo impedimento posset homo defendere suam perceptionem, si eam haberet liberam in sua natura sine ulla corruptione & constrictione.

12. Quando homo, *Domine*, habet *Conscientiam* subtilem in rebus, in quibus non deberet eam habere, vel habet conscientiam grossam in rebus, in quibus deberet eam habere subtilem, generatur peccatum in conscientia ipsius, quia conscientia hominis semper deberet esse in quantitate æqualis culpæ & peccato; & ideo quando homo habet conscientiam de aliqua re, de qua non debet eam habere, sem-

per est peccatum, cum omnis res non debita sit peccatum.

13. e. *Perfekte Domine in omnibus perfectionibus, honorate Domine in omnibus honorationibus!* Quando homo non vult se subtiliare intrà terminum, in quo sua *Subtilitas* est terminata, vel vult se subtiliare in rebus, quæ sunt extra terminum, intrà quem sua subtilitas est terminata, generatur peccatum in sensu subtilitatis, quia subtilitas est homini data, ut inquiret intrà terminum ipsius, & est terminata, ut homo non inquiret res, quas non potest scire & intelligere.

14. Quando homo, *Domine*, habet majorem *Fervorem & Animositatem* in rebus illicitis quàm in licitis, generatur peccatum in fervore & animositate ipsius; & quando fervor & animositas sunt nimis magnæ vel nimis parvæ quantitatis, generatur peccatum in ipsis, quia per tuam ordinationem debent proportionari rebus, quæ debent amari vel odio haberi; & ideo in illo gradu, in quo res est digna amari vel

odio

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CXCI. 357
odio haberi, debet esse animositas & fervor
hominis.

15. Unde benedictus sis, *Domine DE-*
VS; quia per omnes istos quinque sensus
spirituales generatur in homine peccatum
intellectualiter; quoniam, sicut quinque
sensus corporales sunt subiecti omnibus pec-
catis sensualibus, ita quinque sensus spiri-
tuales sunt subiecti omnibus peccatis intel-
lectualibus: igitur, qui vult percipere quæ-
nam res sit peccatum intellectuale, in his
sensibus intellectualibus poterit hoc inveni-
re & percipere, quia nullum peccatum in-
tellectuale potest esse extra ipsos.

16. f. *JESU Cbriste Domine, qui natus es*
de Virgine gloriosa! Potentia Vegetabilis est
subiecta peccato & culpæ per nimiam abun-
dantiam vel per nimiam carentiam rerum
sensualium; quia, sicut potentia imaginativa
est subiecta peccatis intellectualibus vigi-
lando & somniando, ita potentia vegetabi-
lis est subiecta peccatis sensualibus, quando
homo vigiliat aut somniat dormiendo; &
propterea accidit, quòd quando homo dor-

mit, potentia vegetabilis facit eum somniare illas res, quæ sunt peccata sensualia.

17. *Potentia Sensitiva, Domine*, est subiectum, per quod generantur plura peccata, quàm per ullam aliam potentiam; quia superbia, ira, invidia, avaritia, luxuria, proditio, falsitas, gula & omnia alia peccata his similia occasionantur & nascuntur ab ista potentia, eò quòd ipsa sit fundamentum & radix, super quam multiplicantur omnia peccata sensualia; & hoc evenit per hoc, quòd in ipsa inceperit primum peccatum in homine, & ipsa fuerit fortior causa, per quam homo peccaret, quàm ulla aliarum potentiarum.

18. *Potentia Imaginativa, Domine*, est subiecta peccato per ignorantiam & per suspicionem & per opinionem & per zelotypiam & per omnia alia peccata similia istis; & etiam est subiecta peccato imaginando, dum homo dormit, res vanas & de quibus nulla sequitur utilitas; & est subiecta peccato per tenere mentem hominis otiosam

imaginando casualiter multas res, quas non debet imaginari, & omittendo imaginari multas res, quas oportet imaginari.

19. g. *Domine amate, Domine honorate & volite* ! Cùm ita sit, quòd potentia *Rationalis* sit nobilior & melior potentia, quæ sit in anima humana, quando accidit, quòd peccatum formetur in ea plùs occasione ipsius, quàm ullius aliarum potentiarum, tunc peccatum plùs multiplicatur in ipsa, quàm in ulla aliarum potentiarum.

20. Nam quantò rationalitas est in homine nobilior omnibus aliis potentiis, tantò plùs corrumpitur, quando utitur rebus, quæ non sunt de sua natura; & propterea quando ipsa se facit servam aliarum potentiarum, est totus homo corruptus & inordinatus in peccato.

21. Quando potentia *Motiva, Domine*, est plùs obediens & subdita potentiæ sensitivæ & imaginativæ quàm rationali, est peccatum in ipsa, quia non est de sua natura obedire, nisi soli potentiæ rationali; quoniam, sicut mancipium & captivus datur, ut

360 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ut sit servus & subditus suo Domino, ita
potentia motiva est data, ut sit serva &
subdita potentiae rationali.

22. h. *O Domine DEVS, qui exaltasti
nostram Dominam sanctam MARIAM
super omnes creaturas!* In homine Memoria
est subjectum, in quo accidentaliter evenit
peccatum; quia, quando anima hominis
memorat aliquam rem sensualem vel in-
tellectualem, habet homo occasionem
peccandi in illa re memorata, si eam me-
moret inordinatè, & si per suam memora-
tionem moveantur sensus sensuales vel in-
tellectuales ad aliquam vanitatem vel ad
aliquod malum opus.

23. Quando *Intellectus* hominis, *Do-
mine*, tractat inordinatè in rebus sensuali-
bus vel in intellectualibus, cadit in pecca-
tum; quia, quando accipit res sensuales in
natura & proprietate intellectualium, vel
res intellectuales in natura & proprietate
sensualium, est excoecatus & indirectus in
rebus sensualibus, & in intellectualibus; &
propterea est in peccato & culpa.

24. Quando *Voluntas* hominis, *Domine*, amat & vult res viles & illicitas amari super nobiles & licitas & quas debet amare, & quando amat plus res viliores quam nobiliores, est peccatum & culpa in anima occasione voluntatis, quæ movet omnes potentias hominis & omnes sensualitates & intellectualitates ad peccatum & inordinationem, quia voluntas hominis ducit versus quamcunque partem vult, & in quocunque tempore vult, omnes naturas & proprietates homini subjectas, in quibus fiunt bona vel mala opera.

25. i. *Honorabilis Domine, qui defendis & salvas tuos benevolos ab omnibus malis!* Quando homo amat se ipsum primâ intentione, & amat Te secundâ, tunc cadit in peccatum per inordinationem *duarum Intentionum*; quia per hoc, quòd Tu plus valeas quàm homo, & prima intentio plus valeat quàm secunda, est inordinatio, quando homo Te amat secundâ intentione, & se primâ, & per hanc inordinationem est in eo peccatum & culpa.

26. Quando

26. Quando homo, *Domine*, incedit per secundum motum & non vult incedere per *primum*, est in eo peccatum per *secundum Motum*, qui est motus, per quem homo vadit ad defectum & se elongat à perfectione; quia, sicut primus motus est via, quæ habet respectum ad *esse* & ad gratiam & benedictionem, ita secundus motus est via, quæ habet respectum ad privationem & ad defectum.

27. Peccatum est res, quæ generatur & nascitur, *Domine*, à *Defectu*, qui generatur & nascitur à nimia magnitudine vel parvitate; quia, quando homo auget & multiplicat illam rem, quæ est nimis magna vel minuit & parvificat illam rem, quæ est nimis parva, generatur & nascitur defectus, qui est peccatum, eò quòd homo per ipsum elonget se & suum opus à perfectione.

28. K. *Virtuose Domine, à quo veniunt & derivantur gratia & benedictiones!* In Verbo hominis generatur & nascitur peccatum; quia, cùm ipse habeat verbum ad dicendum

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CXCI. 363
dum veritatem & ad laudandum Te, si di-
cat falsitates & mendacia & vanitates, nas-
citur accidentaliter peccatum in verbo, eò
quòd loquatur id, quod est falsum, & ta-
ceat id, quod est verum.

29. *Misericors Domine!* Per *Signa* &
per *Nutus* & per similitudines falsò factas
generatur peccatum; quia fatuè ridere &
illudere aliis per signa, vel eos decipere per
signa vel nutus, est res illicita; quoniam sig-
na & nutus non sunt data homini, nisi ad
complendum & perficiendum demonstra-
tionem veritatis, quam demonstrationem
verba non possunt complere & perficere.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Do-
mine DEVS*, Te orat & laudat & Tibi
gratias agit, quia ei dedisti cognitionem de
viginti quatuor viis, per quas veniunt om-
nia peccata, quæ possunt esse in homine;
per quam cognitionem homo potest habere
modum & industriam ad evitandum omnia
peccata, cognoscendo viginti quatuor vias,
per quas accidentaliter veniunt, & quorum
adventus non provenit ab opere nec à Vo-
luntate

CAPUT CXCVII.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
*& cognoscat, quanam sint majora bona &
quanam sint majora mala.*

1. **O** *DEVS liber, liberalis, gloriose, cui
a. detur gloria & laus omni tempore!*
Cúm ita sit, *Domine*, quòd omnia bona &
mala sint in rebus sensualibus & in intel-
lectualibus, qui vult inquirere & invenire,
quanam sint majora bona, & quanam ma-
jora mala in rebus sensualibus & in intel-
lectualibus, debet hoc inquirere, quia in eis
poterit hoc invenire, si sapienter inqui-
rat.

2. Cúm res sensuales & intellectuales
sint subjecta, in quibus inveniuntur ma-
jora bona & majora mala & minora bona
& minora mala, oportet, *Domine*, quòd in-
quiramus an major quantitas bonorum vel
malorum sit in rebus sensualibus, an verò

3. Quia natura intellectualis est multò nobilior & melior sensuali, propterea evenit, *Domine*, quòd bona & mala sint multò majora in rebus intellectualibus quàm in sensualibus; quoniam, quando bona vel mala magnificantur & multiplicantur in rebus intellectualibus usque ad terminos, ad quos possunt pertingere, tunc sunt in majori quantitate, quàm sint bona & mala, quæ magnificantur & multiplicantur in rebus sensualibus usque ad terminos, ad quos possunt pertingere, & hoc evenit, quia in quantum intellectualitas valet plus quàm sensualitas, in tantum bonum & malum potest plus multiplicari in illa quàm in ista.

4. b. *O Domine, qui inclinasti tuum Caput in Cruce, ut elevares tuum populum ad cælestem gloriam! Qui vult inquirere & invenire, quænam sint majora bona & minora, & quænam sint majora mala & minora, in perfectione & defectu poterit hoc invenire; quia illa bona, quæ sunt perfectio in*
rebus

rebus intellectualibus & defectus in sensualibus, sunt majora, & illa bona, quæ sunt perfectio in rebus sensualibus & defectus in intellectualibus, sunt minora, & illa mala, quæ sunt defectus in rebus intellectualibus & perfectio in sensualibus, sunt majora, & illa mala, quæ sunt perfectio in rebus intellectualibus & defectus in sensualibus, sunt minora.

5. *Amabilis Domine!* Aspiciendo & percipiendo quænam res sint substantiales & quænam accidentales, potest homo percipere & intelligere, quænam sint majora bona & majora mala, & quænam minora bona & minora mala, quia res, quæ est bona vel mala substantialiter, est in multò majori quantitate bonitatis vel malitiæ, quàm res, quæ est bona vel mala accidentaliter, cùm natura substantialis sit fortior & major, quàm res, quæ eveniunt accidentaliter.

6. Inquirendo & intelligendo, *Domine*, quænam res sint generales & quænam speciales, potest homo percipere & intelli-

gere,

gere, quænam sint majora bona vel majora mala, & quænam minora bona vel minora mala; quia quantò generalitas est major specialitate, tantò majora sunt bona & mala, quæ sunt in generalitate, quàm quæ sunt in specialitate, & quantò specialitas est minor generalitate, tantò minora sunt bona & mala, quæ sunt in specialitate, quàm quæ sunt in generalitate.

7. c. *Domine amande, Domine timende, Domine laudande!* Per libertatem & servitutem potest homo cognoscere & percipere, quænam sint majora bona vel minora, & quænam majora mala & minora; quia bona, per quæ homo venit in libertatem, sunt majora, quàm bona, per quæ venit in servitutem; & mala, per quæ homo perdit libertatem & cadit in servitutem, sunt majora, quàm mala, per quæ venit ad libertatem; & hoc est, quia quantum libertas est proficua & servitus nociva, tantum formantur bona & mala in magna quantitate.

8. *Qui vult inquirere & percipere, Domine,*

mine, majora bona & majora mala, potest hoc percipere & cognoscere in tribus terminationibus, quæ sunt principium & medium & finis; quia res, quæ sunt bonæ in his tribus terminationibus sunt meliores, quàm res, quæ sunt bonæ in una vel duabus tantùm; & res, quæ sunt malæ in his tribus terminationibus, sunt peiores, quàm res, quæ sunt malæ in una vel duabus tantùm; & hoc est, quia quantò duo sunt plús quàm unum, & tria plús quàm duo, tantò bona & mala sunt majora in tribus terminationibus, quàm in una vel in duabus.

9. Qui vult invenire & percipere, *Domine*, quænam sint majora bona vel majora mala, in quatuor causis potest hoc percipere; quia aspiciendo & æstimando quoniam sit melior vel peior factor, & quænam sit melior vel peior materia, & quænam sit melior vel peior forma, & quoniam sit melior vel peior finis, potest percipi, quænam sint majora bona & majora mala; & hoc est, quia res sunt meliores vel peiores

jores aliis per istas quatuor causas.

10. d. *Misericors Domine, á quo recipiunt robur & victoriam omnes in Te confidentes!* Qui vult inquirere & invenire quænam sint majora bona & majora mala, aspiciat quænam sint bona & mala, quæ veniunt occasionatè, & quæ veniunt casualiter; quia bona, quæ veniunt occasionatè, sunt majora quàm bona, quæ veniunt casualiter; & mala, quæ veniunt occasionatè, sunt majora quàm mala, quæ veniunt casualiter; & hoc est, quia occasio est fortior res & major, quàm casualitas, & ideo bona & mala formantur majora in illa quàm in ista.

11. In contrarietate, quæ est inter bonum & malum, *Domine*, cognoscitur quænam sint majora bona & majora mala; quia bonum, quod plús contrariatur malo, est majus bono, quod minús contrariatur malo; & malum, quod plús contrariatur bono, est majus malo, quod minús contrariatur bono; & ista cognitio provenit ex hoc, quòd unum contrarium cognoscatur per aliud,

A a

&

370 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
& quò major est contrarietas, eò majus
cognoscitur ipsum contrarium.

12. Illa bona sunt majora, *Domine*,
quæ elongant hominem à viis periculosis,
& appropinquant eum ad vias securas & in
quibus non est periculum, & illa bona sunt
minora, quæ elongant hominem à viis se-
curis & appropinquant eum ad vias pericu-
lofas; & hoc idem est de majoribus & mi-
noribus malis; quia, quò homo est propin-
quior periculo quàm securitati, eò est in
majori malo, cùm viæ periculosa sint pro-
pinquiores malo quàm bono, & viæ securæ
sint propinquiores bono quàm malo.

13. e. *Complete Domine plene misericor-
diâ & gratiâ!* Inquirendo bona & mala in
duabus intentionibus cognoscit & percipit
homo, quænam sint majora bona & quæ-
nam sint majora mala; quia per hoc, quòd
prima intentio sit melior & nobilior quàm
secunda, sunt bona majora & meliora in
prima intentione quàm in secunda; & quan-
do prima intentio corrumpitur & inordina-
tur, sunt majora & pejora mala in prima

in-

intentione quàm in secunda; quoniam, quò bona in prima intentione per ordinationem formantur majora quàm in secunda, eò per inordinationem formantur in ea mala majora quàm in secunda.

14. *Honorate Domine!* Inquirendo quænam res sint ordinatæ, & quænam sint inordinatæ, percipit & intelligit homo, quænam sint majora bona vel majora mala; quia quantum bonum & ordinatio assimilantur & concordant in natura, tantum malum & inordinatio assimilantur & concordant in natura; & propterea illa bona sunt nobiliora & meliora, quæ sunt melius ordinata; & illa mala sunt majora & pejora, quæ sunt in majori privatione ordinationis.

15. Nullatenus potest homo, *Domine*, cognoscere & scire, quænam sint majora bona vel majora mala adeò faciliter, sicut inquirendo quænam sint finita & quænam infinita; quia bona infinita sunt sinè omni comparatione multò majora & meliora quàm bona finita; & mala finita sunt sinè
omni

372 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
omni comparatione multò minora quàm
mala infinita.

16. f. *Pie Domine, á quo descendunt spes
& consolatio tuis benevolis!* In multitudine
& magnitudine significationum percipitur
& intelligitur quænam sint majora bona &
quænam sint majora mala; quia sicut ignis,
quò major est, eò majorem dat calorem &
claritatem, ita bona & mala, quò majora
sunt, eò majores dant significationes & de-
monstrationes de se ipsis; sed quia homines
nescii non sciunt recipere significationes
bonorum & malorum, ideo ignorant quæ-
nam sint majora bona & quænam majora
mala.

17. In potentiis rationali & sensitiva
potest homo percipere & cognoscere, *Do-
mine*, quænam sint majora bona & quænam
sint majora mala; quia, quò potentia ratio-
nalis est melior sensitivâ, eò meliora sunt
bona, quæ generantur & formantur in po-
tentia rationali, quàm quæ generantur &
formantur in sensitiva; & hoc idem est de
malis, quia mala, quæ generantur & for-
mantur

mantur in potentia rationali, sunt majora & pejora, quàm quæ generantur & formantur in sensitiva; & hoc est, quia peccatum plus boni privat in potentia rationali per hoc, quòd plus contrarietur naturæ ipsius, quàm in sensitiva, cujus naturæ minús contrariatur.

18. Imaginando & intelligendo, memorando & amando tuam magnam Bonitatem & nostram magnam vilitatem, *Domine*, cognoscimus & scimus quænam sint majora bona & majora mala; quia per tuam Bonitatem cognoscimus majora bona & majora mala, quæ sunt in nobis, & per cognitionem nostrorum malorum & defectuum percipimus quænam sint majora bona, quæ recipimus à Te.

19. g. *Æterne Domine*, qui permittis & prohibes, quæcunque Tibi placet! In vegetabilibus & in brutis non sunt bona nec mala adeò magna nec adeò multa sicut in hominibus; quia sicut bona & mala sunt majora & plura in brutis, quàm in vegetabilibus, ratione potentia sensitivæ, quâ carent

ve-

vegetabilia, ita bona & mala in hominibus sunt majora & plura quàm in vegetabilibus & in brutis ratione potentiaè rationalis, quæ carent vegetabilia & bruta, & per quam lucrantur homines meritum gloriae vel poenæ.

20. *Gloriose Domine!* Cùm anima hominis sit multò melioris naturæ quàm corpus, bona, quæ sanant & vivificant animam, sunt meliora, quàm quæ sanant & vivificant corpus; & mala, quæ occidunt & corrumpunt animam in peccato, sunt multò graviora & pejora, quàm quæ occidunt & corrumpunt corpus.

21. Illa bona & mala, quæ non leviter veniunt, sunt majora, quàm quæ leviter veniunt; quia quæ leviter veniunt, leviter transeunt & discedunt ab homine; & propterea, qui vult cognoscere meliora bona & pejora mala, aspiciat & inquiret, quænam sint bona & mala, quæ non leviter veniunt nec leviter recedunt ab homine; quia in illis bonis est major fructus, & in illis malis est majus damnum.

22. h. *Complete Domine in omnibus bonis & in omnibus honorationibus!* Qui vult inquirere, quænam sint majora bona, quæ sunt in homine, inquireat, quænam bona recipiat homo à Te per gratiam, & quænam habeat per suam industriam & per sua opera; quia bona, quæ homo à Te recipit per gratiam, sunt majora & meliora & plura, quàm bona, quæ lucratur per sua opera & per suam industriam, cum Tu illa bona ei des intuitu tuæ Bonitatis.

23. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia per hoc, quòd Tu sis suprema Bonitas, oportet, quòd dona, quæ das intuitu tuæ Bonitatis, sint multò majora & meliora quàm dona, quæ das intuitu meritorum, quæ homines habent per bona opera; & quia Tu das intuitu tuæ Bonitatis, sunt homines justii vocati ad gloriam infinitam; sed si non dares, nisi intuitu bonorum operum, quæ homines faciunt, nulli dares gloriam perdurabilem & infinitam, cum omnia opera ipsorum sint finita & terminata.

24. Igitur

24. Igitur, cūm hoc ita sit, *Domine*, significatur, quòd omnia bona, quæ homines fecerunt & faciunt & facient, non sufficerent ad dandum saluationem uni homini, quia omnia sunt finita & terminata; sed gloria, quam homo recipit per tuam gratiam, est infinita; & sicut homines salvati, *Domine*, habebunt gloriam infinitam per donum gratiæ, ita damnati habebunt poenam infinitam ad demonstrationem tuæ Iustitiæ; quia si eorum poena esset finita, demonstratio tuæ Iustitiæ esset finita: igitur, cūm non possit esse finis in demonstratione tuæ Iustitiæ, significatur, quòd oporteat poenam inferni esse infinitam.

25. i. *Gubernator Domine cæli & terra & universorum, quæ sunt!* Benedictus sis Tu, & quidquid tuum est; quia, qui vult invenire & scire, quænam sint majora mala, inquirat, quænam sint mala culpæ & quænam mala poenæ; quoniam per hoc, quòd malum culpæ scilicet peccatum sit occasio mali poenæ in hoc, quòd, si ipsum non esset, non foret poena, significatur malum cul-

pæ

pæ esse multò majus malo pœnæ.

26. Ratio, quare malum culpæ est majus malo pœnæ, est, *Domine*, quia malum culpæ est contrarium tuæ Bonitati, & malum pœnæ non, imò istud malum significat tuam Justitiam & tuam Misericordiam & Grati-
tiam, quam facis omnibus illis, qui non tor-
quentur in igne perdurabili.

27. Igitur, cùm malum culpæ, *Domine*, sit majus malo pœnæ, propterea oportet esse prius in homine malum culpæ quàm malum pœnæ, quia culpa est occasio, ut sit in homine pœna; & propterea evenit, quòd, quamdiu malum culpæ sit in homine, oporteat esse in eo malum pœnæ, quia istud non potest finiri, dum culpa durat; & per hanc rationem significatur, *Domine*, quòd homines morientes in malo culpæ erunt perdurabiliter in malo pœnæ, cùm culpa in eis semper sit duratura.

28. K. *Rex magne, Rex Coactor & Con-*
strictor omnium, quæ vis! Sicut majora bona veniunt homini per perfectum amorem & per veram fidem, ita, *Domine*, majora mala

veniunt ei per privationem perfecti amoris & veræ fidei : igitur, qui vult inquirere in se majora bona vel majora mala, inquiret, an habeat perfectum amorem & veram fidem, vel an careat ipsis.

29. Unde, cùm meliora bona veniant, *Domine*, per perfectum amorem & per veram fidem, tuus servus & tuus subditus in præsentia tui Altaris genuflectit & elevat suas manus & suos oculos ad cœlum petendo à Te gratiam, per quam eum facias possidere veram fidem & perfectum amorem, ut perveniat ad suprema bona & defendatur à majoribus malis.

30. Igitur benedictus sis, *Domine DEVS*, quia sicut corpus per multos labores & per multos ploratus & languores & per multas tribulationes & afflictiones & per sustinere gravem mortem pro suo Creatore consequitur suprema bona, & fugit ab infinitis malis, ita anima hominis justii per multum amare & memorare & desiderare & imaginari & cogitare & contemplari in suo Creatore pervenit ad suprema bona, & evitat perdurabilia

durabilia mala, in quibus homo peccator torquetur, quia est culpabilis suo Domino DEO.

CAPUT CXCIII.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT

& cognoscat, quanam res sint vera & quanam falsa.

1. **O** *DEVS* gloriose, cui fiat reverentia & honor semper ! Tu, Domine, dedisti homini modum & industriam, ut sciat invenire veritatem ; & quia veritatem posuisti in duabus viis, quarum una est sensualis, & alia intellectualis, oportet eam inquiri in his duabus viis ; & sicut ipsa incedit per has duas vias, ita oportet, quòd inquiratur duobus modis diversis.

2. Qui vult inquirere veritatem sensualem, Domine, oportet, quòd eam inquirat quinque sensibus sensualibus ; quia omnis veritas sensualis potest inveniri vel videndo vel audiendo vel odorando vel gustando vel palpando, cum nullam veritatem

sen-

sensualem possit homo percipere, nisi per hos quinque sensus corporales.

3. Sicut quinque sensus corporales diversificantur abinvicem, *Domine*, ita veritas diversificatur in eis; quia unam veritatem percipit homo per visum, aliam per auditum, aliam per odoratum, aliam per gustum, & aliam per tactum; cum visus tractet de colore & forma, & auditus de voce & verbo, & odoratus de odore, & gustus de sapore, & tactus de calore & frigore: igitur quaecunque sit veritas sensualis, quam homo vult inquirere & scire, in suo proprio sensu debet eam inquirere, si velit eam invenire.

4. b. *Æterne Domine sine fine & sine principio!* Qui vult inquirere & invenire veritatem intellectualem, in quinque sensibus intellectualibus debet eam inquirere; quia sicut quinque sensus sensuales sunt loca, in quibus invenitur veritas sensualis, ita quinque sensus intellectuales sunt loca, in quibus invenitur veritas intellectualis.

5. Unde benedictus sis, *Domine D E-*

VS,

VS, quia sicut est diversitas inter unum sensum intellectualem & alium, ita sunt in eis diversæ veritates; quoniam quilibet sensus habet proprietatem & modum, per quem homo potest percipere & invenire veritatem, quæ est secundum naturam & proprietatem ipsius sensus; & propterea unam veritatem potest homo percipere per cogitationem, aliam per perceptionem, aliam per conscientiam, aliam per subtilitatem, & aliam per animositatem; & hoc est, quia quilibet istorum sensuum habet suas proprias significationes.

6. Sicut duo testimonia recipiuntur, *Domine*, ad probandum veritatem sensualem, ita tria testimonia recipiuntur ad probandum veritatem intellectualem, scilicet testimonium quinque sensuum intellectualium, & testimonium trium Virtutum animæ, & testimonium potentiarum ipsius; quia unam significationem dant sensus intellectuales, aliam tres Virtutes animæ, & aliam potentiam ipsius; & hæc diversitas significationum fit per hoc, quòd quælibet prædic-
tarum

382 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tarum rerum det significationem de illa,
cui est subjecta.

7. c. *Misericors Domine, á quo recipimus
gratiam & benedictionem!* Quinque sunt res,
in quibus existit veritas; quarum prima est
tua *Essentia*, secunda est *Natura Angelica*,
tertia est *Damon*, quarta est *Natura*, &
quinta est *Animal*: igitur, cum omnis ve-
ritas cognoscatur esse in his quinque rebus,
qui vult veritatem inquirere & invenire,
oportet, quod in ipsis eam inquirat; & sicut
quælibet harum quinque rerum est diversa
ab aliis, ita oportet, quod veritas diversi-
modè inquiratur in qualibet earum.

8. Igitur cum quælibet prædictarum
quinque rerum, *Domine*, sit diversa ab aliis,
propterea quælibet habet diversa opera &
diversas significationes; & quia opera sunt
diversa & etiam significationes, propterea
significationes demonstrant opera cujussli-
bet earum secundum veritatem, in qua
fiunt.

9. Sicut est differentia, *Domine*, inter
quinque res prædictas, ita est differentia
inter

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CXCIII. 383
inter unam sensualitatem & aliam & inter
unam intellectualitatem & aliam; & ratio-
ne hujus diversitatis evenit, quòd veritas
inveniatur diversimodè in illis rebus cum
diversis sensualitatibus & intellectualitati-
bus significantibus & demonstrantibus di-
versas significationes.

10. d. *Gratiosè Domine, à quo Sancti pa-
radisi recipiunt gratiam & benedictionem!*
Quia tua divina *Essentia* est verior res,
quàm ulla alia essentia, propterea plus sig-
nificatur humanæ perceptioni opus ipsius
quàm opus ullius alterius essentiæ; quoniam
quò major veritas est in tua *Essentia*, eò
majorem demonstrationem & significatio-
nem dat de se ipsa, quàm essentiæ creatura-
rum, in quibus non est tanta veritas, quanta
est in ea.

11. Quia tua divina *Essentia*, *Domine*,
significat nobis suam Bonitatem, & omnes
creaturæ & omnia earum opera sive bona
sive mala etiam significant nobis tuam Bo-
nitatem, propterea multò meliùs sinè om-
ni comparatione significatur & demonstra-
tur

tur nobis veritas tuæ Essentiæ, quàm veritas creaturarum; & quò meliùs tua Veritas nobis significatur, eò leviùs à nobis percipitur & cognoscitur.

12. Sed quia homines hujus mundi, *Domine*, se inclinant ad peccatum, & sunt inquisitores significationum sensualium & omittunt significationes intellectuales, propterea claudendo oculos intellectus sunt excoecati & non recipiunt significationes, quas dant tua Essentia & omnes creaturæ; & videtur eis, quòd de veritate creaturarum detur major significatio & demonstratio, quàm de veritate tuæ Essentiæ.

13. e. *Perdurabilis Domine*, pro quo meum cor est plenum devotione & amore & suspiriis, & mei oculi lacrymis & fletibus! Qui vult inquirere an sit verum, quòd Tu sis in *esse* vel non, poterit hoc percipere & cognoscere in significationibus creaturarum; quia omnes sensualitates & intellectualitates, quæ sunt in creaturis, dant significationem de veritate Tui *Esse*.

14. Qui vult inquirere & invenire,
Domine,

Domine, veritatem tuorum operum, & an futura sit resurrectio, & an sit paradifus & infernus, in significationibus tuarum qualitatum poterit omnes istas veritates invenire, quia tuæ perfectæ qualitates significant & demonstrant veritatem tuorum operum & resurrectionis & paradifi & inferni.

15. *Amabilis Domine!* Qui inquit veritatem trium Legum & quænam earum sit melior, in significationibus tuarum perfectarum Qualitatum & in significationibus ipsarum Legum eam inquirat; quia tuæ Qualitates & tres Leges significant istam veritatem in hoc, quòd Lex, quæ est melior, Tibi attribuat majores & meliores qualitates, quàm aliæ, & ideo tuæ Qualitates per suam perfectionem significant, quænam Lex sit melior.

16. f. *O Domine, qui es dignus omni honore & omni laude & omni honoratione!* Qui vult inquirere & invenire veritatem in *Angelis & in demonibus*, oportet, quòd eam inquirat inquisitione intellectuali, cum

B b

ipfi

ipsi sint spiritus intellectuales; quia si istam veritatem inquireret inquisitione sensuali, impediret inquisitionem intellectualem, dum mentem haberet in rebus sensualibus.

17. Cúm proprium sit Angelis, *Domine*, per gratiam sequi perfectionem, & dæmonibus per culpam & maledictionem, in quam ceciderunt per peccatum, sit proprium sequi defectum, qui vult invenire veritatem in Angelis & dæmonibus, inquirat in perfectione opera angelica, & in defectu opera diabolica.

18. Sicut verum est, *Domine*, quòd perfectio sit nobilitata super defectum, ita verum est, quòd Angeli elongent sua opera à defectu & appropinquent ad perfectionem, & dæmones elongent sua opera à perfectione & appropinquent ea ad defectum, & per hoc significatur veritas, quæ est in operibus Angelorum & dæmonum; verum tamen est, *Domine*, quòd veritas, quæ est in operibus dæmonum, sit mala, cúm verum sit, quòd ipsi faciant malum; & ratio, quare ista veritas est mala, est, quia

quia non est digna esse in *esse*, cum omnem veritatem, quæ non est digna esse in *esse*, oporteat esse malam, eò quòd possideat *esse* contra justitiam & contra *esse* veritatis, quod est dignum esse in *esse* per bonitatem essentia & operationum.

19. g. *Nominate Domine, in quo est tota nostra consolatio & tota nostra salvatio!* Qui vult inquirere veritatem rerum, quæ fiunt in hoc mundo, inquirat eam in tribus rebus, quæ sunt vegetabilia & animalia & metalla; quia istæ tres res tantum sunt, in quibus materia, hoc est natura elementalis, componit & generat & dissolvit & privat formam; & istæ tres res sunt, quæ faciunt & operantur omnia, quæ sunt in hoc mundo: igitur, qui vult inquirere veritatem operum ipsius mundi, in his tribus rebus eam inquirat.

20. Quia *Natura, Domine*, consistit in tribus rebus prædictis, & Tu multoties ratione tuæ Sententiæ, quæ est supra nos, confringis & cogis cursum naturæ, propterea homines non sciunt, nec possunt percipere

ve-

veritatem operum naturæ; quia multoties putant, quòd opera, quæ Tu facis constringendo naturam, sint falsa & vana, eò quòd non sint naturalia; & multoties operatur natura secundùm suum cursum, quin ipsi sciant percipere veritatem operum ipsius.

21. Adeò brevis est vita hominis, *Domine*, & adeò multa sunt opera naturæ ratione multitudinis individuorum ipsius, & ratione magnæ multitudinis accidentium, quæ accidunt eis, quòd propterea homo non possit attendere & scire totam naturam in omnibus suis operibus, & propterea deficit in percipiendo totam veritatem, quæ est in natura & in operibus ipsius.

22. h. *Gratiosè Domine, á quo recipiunt doctrinam & benedictionem tui amatores!* Veritas, quam homo plús ignorat & minús percipit, est veritas, quæ est in alio homine; & hoc est, quia homo est medius inter bonum & malum, & cum falsis significacionibus significat veritatem ubi est falsitas, & falsitatem ubi est veritas; & ideo gravior veritas, quam homo possit percipere in ulla

crea-

creatura, est veritas, quæ est in humanis operibus; quia per hoc, quòd homo sit falsior & fallacior creatura, rariùs potest percipi veritas operum ipsius.

23. Licèt sit valde difficile homini, *Domine*, percipere veritatem in alio, tamen dum sciat habere modum & artem, potest plerumque eam percipere per significationes sensualitatum & intellectualitatum, juvando se & mutando se de una sensualitate in aliam & de sensualitate in intellectualitatem & de una intellectualitate in aliam.

24. Qui vult inquirere veritatem in alio homine, *Domine*, oportet, quòd priùs cognoscat an illa veritas sit sensualis vel intellectualis; & si ipsa sit sensualis, oportet, quòd sua inquisitio sit sensualis; & si ipsa sit intellectualis, oportet, quòd sua inquisitio sit intellectualis; & si per istum modum non possit invenire & percipere istam veritatem, oportet, quòd eam inquireat inquisitione compositâ ex sensualitate & intellectualitate sensuum sensualium & intellectualium.

25. i. *Memorator Domine nostrarum necessitatum & nostrorum dolorum!* Qui vult sensualiter inquirere veritatem in alio homine, oportet, quòd prius cognoscat proprietates ipsius; quia cognoscenti & percipienti proprietates subjecti significatur veritas ipsius, cum omne subjectum in suis proprietatibus det significationem de veritate, quæ est in se & in suis operibus.

26. Naturale est, *Domine*, veritati significari plus in individuis per proprietates ipsorum, quàm occultari per improprietates; quia proprietates habent majorem vim significandi veritatem de se ipsis, quàm improprietates occultandi significationem illarum; & hoc est, quia veritas est magis propinqua & unita cum *esse*, quàm falsitas; & quò ipsa est magis propinqua & unita cum *esse*, quàm falsitas, eò magis & melius significat se ipsam, quàm occultetur & velletur per falsas significationes, quæ eam occultant & velant in quantum possunt.

27. *Vere Domine!* Quando homo pec-

cator vult occultare & velare suum peccatum cum significationibus contrariis suis operibus, tunc multò levius est ei demonstrare significationes suorum malorum operum, quàm significationes bonorum operum, quæ non sunt in se, & hoc est, quia inter sua mala opera & significationes ipsorum non est ullum medium nec ulla contrarietas, & ideo ipsa faciliter significantur, & faciliter percipitur veritas in eis; sed quando peccator vult occultare & dissimulare suum peccatum per falsas significationes & per falsas similitudines, tunc est medium contrarium & discordans inter mala opera & significationes, quas ipse dat, & ideo non potest adeò faciliter & manifestè dissimulare & occultare suum peccatum, sicut potest ipsum manifestare.

28. K. *Domine immortalis, qui vivis & vivificas omnes creaturas!* Sicut homo virtuosus bonæ vitæ vult dissimulare & occultare sua bona opera, significando ea vitiosa in se ipsis, ita homo falsus hypocrita vult dissimulare & occultare sua mala ope-

ra,

ra, significando in se virtutes & ostendendo se in similitudinem hominis boni & virtuosissimi: igitur, qui vult inquirere & invenire veritatem in talibus hominibus, oportet, quòd eam inquireat sensualiter & intellectualiter, quia sensualiter significant id, quod non est verum in intellectualitate & est verum in sensualitate, & intellectualiter significant id, quod non est verum in sensualitate & est verum in intellectualitate.

29. Qui vult inquirere veritatem, *Domine*, necessarium est ei scire, quænam res incedant per occasionem & quænam per casualitatem, & quænam res sint necessariae & quænam non, & quænam res sint possibiliæ & quænam non, & quænam res sint per primam intentionem & quænam per secundam: unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia omnes istæ cognitiones sunt necessariae inquisitori veritatis, eò quòd omnes prædictæ res sunt signa & qualitates, in quibus formatur & significatur & demonstratur veritas.

30. Ratio, quare omnes prædictæ res
sunt

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CXCIV. 393
sunt signa, per quæ percipitur veritas, *Domine*, est, quia occasio & necessitas & possibilitas & prima intentio sunt propinquiores veritati quàm falsitati, & casualitas & contingentia & impossibilitas & secunda intentio sunt propinquiores falsitati quàm veritati; & quia istæ res sunt viæ, per quas incedunt veritas & falsitas, propterea homo cognoscendo ipsas cognoscit & percipit, quænam res sint veræ & quænam sint fallaces vel falsæ & displicentes tuæ Veritati divinæ.

CAPUT CXCIV.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat artem & modum, per quem possit se mutare á malis consuetudinibus ad bonas.

I. **D**EVS *juste, virtuose, in omni tempore gloriose!* Quia homo, *Domine*, est compositus ex natura sensuali & ex intellectuali, sunt in eo consuetudines sensuales

394 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
suales & consuetudines intellectuales; &
quia naturæ sensualis & intellectualis sunt
diversæ, consuetudines sensuales & intellec-
tuales sunt diversæ, & aliquando sunt con-
cordantes & aliquando contrariæ adinvi-
cem.

2. *Pie Domine!* Quando consuetudi-
nes sensuales & intellectuales concordant
& conveniunt cum potentia rationali &
contrariantur sensitivæ, significatur, quòd
sint bonæ & ordinatæ; & quando ipsæ con-
cordant & conveniunt cum potentia sen-
sitiva & contrariantur rationali, significa-
tur, quòd sint malæ & inordinatæ.

3. Unde benedictus sis Tu, *Domine*,
quia consuetudines hominis sive sint sen-
suales sive intellectuales, sunt bonæ per
hoc, quòd veniant & deriventur à poten-
tia rationali, quæ semper utitur suâ virtu-
te, quando habet sub se potentiam sensi-
tivam; sed quando potentia rationalis est
subdita sensitivæ, tunc consuetudines ho-
minis sunt malæ & inordinatæ per hoc,
quòd potentia rationalis amiserit suam vir-
tutem,

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CXCIV. 395
tutem, & sit facta inordinatio inter ipsam
& potentiam sensitivam.

4. b. *O Domine DEVS, qui es perfectio
& complementum omnis virtutis!* Qui vult
inquirere & invenire, quænam sint consue-
tudines sensuales, oportet, quòd eas in-
quirat in duabus radicibus, quæ sunt sub-
jectæ quinque sensibus corporalibus, & is-
tæ duæ radices sunt potentia sensitiva &
potentia vegetativa.

5. *Amabilis Domine!* Quando homo
inquisierit & invenerit, unde veniat & in
quo consistat aliqua consuetudo sensualis,
poterit percipere & cognoscere, an ipsa sit
bona vel mala; & si sit mala, & homo ve-
lit se mutare de ipsa ad bonam, oportet,
quòd mortificet potentiam & sensum sen-
sualem unde ipsa deviat, & illam poten-
tiam vel sensum faciat concordare cùm po-
tentia rationali ad contrariandum potentiæ
sensitivæ.

6. Sicut multitudo aquæ consumit ca-
lorem ignis, & multitudo ignis consumit
frigiditatem aquæ, ita, *Domine*, quando ho-

mo

mo multum utitur potentiâ sensitivâ in inordinata dispositione, debilitat & destruit bonam educationem & consuetudinem potentiæ rationalis; & quando multum utitur potentiâ rationali in ordinata dispositione, fortificat & vivificat bonam consuetudinem & educationem ipsius, & consumit & mortificat malam consuetudinem potentiæ sensitivæ.

7. c. Oratio & gratia & benedictio cognoscatur Tibi, *Domine DEVS*; quia, qui vult inquirere & invenire, quænam sit consuetudo intellectualis, oportet, quod hoc inquiret in quinque sensibus spiritualibus & in duabus potentiis, quæ sunt subjecta & radices ipsius, & sunt potentia imaginativa & potentia rationalis; & quando istas res inquisierit & invenerit, oportet, quod aspiciat in quonam quinque sensuum & in quonam duarum potentiarum illa consuetudo sit generata.

8. Quando homo, *Domine*, invenerit in quonam potentiarum & in quonam sensuum sit generata consuetudo intellectualis,

af-

aspiciat an ipsa concordet cum potentia rationali sensualiter & intellectualiter, & an discordet cum potentia sensitiva sensualiter & intellectualiter, quia per talem concordantiam & discordantiam generatur in homine bona consuetudo, & per contrarium generatur in ipso mala consuetudo.

9. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia, qui vult suam malam consuetudinem relinquere & assumere bonam, per istum talem modum potest hoc facere, scilicet quòd sensualitatem & intellectualitatem concordare faciat cum potentia rationali & discordare cum sensitiva; sed quia homines nescii ignorant proprietates & qualitates potentiarum & sensualitatum & intellectualitatum, propterea ignorant concordantias & contrarietates, quæ sunt inter consuetudinem sensualem & intellectualem, & ratione hujus ignorantia non sciunt assumere artem mutandi se à malis consuetudinibus ad bonas.

10. d. *Creator DEVS, aterne, infinite!*
Multi homines, *Domine*, sunt malè consue-

ti

ti per visum corporalem; quia tantum placiti habent in videndo pulchras vestes & pulchra arma & pulchras foeminas & pulchras res, quòd sint servi & captivi sui visus corporalis, qui totâ die eos facit inquirere, quomodo possint videre res, quæ ei placent; & qui hanc malam consuetudinem velit mortificare & delere, oportet, quòd eam mortificet cum visu intellectuali imaginando & cognoscendo & memorando finem & fragilitatem & brevitatem temporis, quæ sunt in visione corporali; & quando intellectualiter hoc videat memorando, intelligendo & amando tuam Bonitatem, se mutabit à mala consuetudine sensuali ad bonam consuetudinem intellectualem.

11. Multi homines sunt malè consueti in suo auditu sensuali; quia totâ die volunt audire malum de suo proximo, & audire vanas laudes de se ipsis, & quando diu sic continuant, fiunt servi & subditi sui auditus sensualis; & qui velit mortificare hanc malam consuetudinem, oportet, *Domine*, quòd

quòd eam mortificet cum potentia rationali in potentia sensitiva, quia imaginando & memorando vilitatem verborum, quæ amat audire, & memorando & intelligendo & amando Te exit homo de servitute sui auditus sensualis & contemplatur in Te memorando, intelligendo & amando tuam laudem & tuum honorem & tuam gloriam.

12. *Honorate Domine!* Multi homines fiunt servi & captivi sui odoratus, quia adeò se assuefaciunt in odorando flores & fructus & moschum vel ambram vel alios odores, quòd per hanc consuetudinem se assuefaciant vitiis luxuriæ & aliorum peccatorum; & qui velit mortificare & delere hanc malam consuetudinem sensualem, oportet, quòd se juret cum potentia rationali taliter, quòd quando odoratur odores, memoret & intelligat & amet & laudet suum Creatorem, qui illos odores creavit: unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia memorando & intelligendo & amando Te obliviscitur homo malarum admonitionum,
quæ

400 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
quæ ei fiunt quando odoratur bonos odo-
res.

13. e. Laus & gloria & virtus cognos-
cantur Tibi, *Domine DEVS*; quia, quando
homo est malè assuetus per suum gustum
sensualem, qui est assuefactus nimio come-
dere & bibere & gulæ & victualibus nimis
delicatis, tunc oportet, quòd cum potentia
rationali mortificet sensitivam, & constrin-
gat & refrænet potentiam motivam in tan-
tum, quòd ipsa non possit nec audeat obe-
dire potentiæ sensitivæ sinè deliberatione
& mandato potentiæ rationalis, quoniam
per talem artem & modum assuefacit se
homo ad continentiam & temperantiam in
victualibus.

14. Quando evenit, quòd homo, *Do-
mine*, per tactum sit malè assuetus, tunc de-
bet recurrere ad potentiam rationalem, ut
obliviscendo & disamando mortificet in
potentia sensitiva placita, quæ ipsa habet
palpando & sentiendo res sensuales, & fa-
ciat, quòd potentia motiva non sit inobe-
diens potentiæ rationali in habendo negli-
gentiam

gentiam & pigritiam mortificandi tactum potentia sensitivæ; & qui talem modum & tale bellum assumit contra potentiam sensitivam, potest assumere & eligere omnes bonas consuetudines in sensualitate & in palpatione & tactu rerum sensualium.

15. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia per istum modum prædictum potest homo mortificare & vincere & destruere omnes malas consuetudines sensuales & se assuefacere bonis, dum sciat concordare sensualitates & intellectualitates cum potentia rationali ad contrariandum potentia sensitivæ; quia semper potest homo per istum modum facere de suis sensualitatibus quidquid velit.

16. f. *O Domine DEVS*, ad quem recurrimus in nostris sollicitudinibus & necessitatibus! Quando homo est assuetus malis consuetudinibus in sua cogitatione per nimium cogitare & per vanas cogitationes contrarias veritati, per quas fit tristis & cogitabundus & dubius vel zelotypus vel invidus, si velit se deviare à suis malis cogitationibus,

Cc

oportet,

oportet, quòd cum potentia rationali mortificet illas malas cogitationes in potentia sensitiva, in qua intellectualitas est corrupta per participationem sensualitatis; & si ipse velit habere bonam cogitationem & temperatam & mensuratam, oportet, quòd concordet & convenire faciat intellectualitatem & sensualitatem cum potentia rationali taliter, quòd potentia rationalis sit Domina sensitivæ.

17. Multi homines, *Domine*, sunt malè assueti in sua perceptione & in sua cognitione, quia per nimiam cognitionem & per nimiam perceptionem fiunt præsumptuosi & invidi & iracundi & malevoli; & qui velit temperare suam cognitionem & suam perceptionem, oportet, quòd aperiat & claudat oculos suæ perceptionis, & non inquirat nec cognoscat res, quas non debet scire & cognoscere nec inquirere, & oportet, quòd elevet memoriam, intellectum & voluntatem ad Te, ut memorando, intelligendo & amando Te obliviscatur & ignoret illas res, per quas sua perceptio & sua cognitio

nitio cadunt in malas consuetudines.

18. Quando homines sunt malè assuefacti per corruptam conscientiam incrassatam & diminutam per carentiam contritionis & devotionis, sunt injuriosi & deceptores & latrones; & qui istam conscientiam velit bene assuefacere & eam deviare à mala consuetudine, oportet, quòd memorando tuam Justitiam & intelligendo tuam Bonitatem & volendo tuam Gloriam dirigat & ordinet suam conscientiam in tantum, quòd ratio ducat in ea ad actum id, quod est in potentia, ut mala consuetudo privetur.

19. g. *Vere Domine, sapiens & juste in omnibus rebus!* Multi homines sunt malè assueti per nimis multam vel per nimis paucam subtilitatē; quia per nimis multam subtilitatem volunt aliqui habere cognitionem de rebus, quas est eis impossibile cognoscere & scire, & per nimis paucam subtilitatem volunt aliqui habere ignorantiam de rebus, quas est eis possibile cognoscere & scire; & qui velit exire à tali mala consuetudine,

tudine, oportet, quòd recurrat ad sensualitates & intellectualitates; quia, si habet nimis multam subtilitatem, potest eam mortificare tractando plús de rebus sensualibus quàm de intellectualibus, cùm per hoc subtilitas redeat de actu ad potentiam; & si habet nimis paucam subtilitatem, potest eam augere tractando plús de rebus intellectualibus quàm de sensualibus, cùm per hoc subtilitas veniat de potentia ad actum.

20. Per nimis magnam animositatem vel per nimis parvam evenit, *Domine*, quòd multi homines sint malè assueti, quia per nimis magnam voluntatem & fervorem vel per nimis parvam voluntatem & fervorem inordinantur sensus spirituales, & per inordinationem eorum inordinantur sensus corporales; & qui velit emendare hanc malam consuetudinem & se bene assuefacere, oportet, quòd inquiret an sua animositas sit nimis magna vel nimis parva; & si ipsa sit nimis magna, oportet, quòd eam mortificet cum oblivione rerum, quæ eam magnificant,

cant, & cum memoria rerum alterius naturæ & similitudinis, & oportet, quòd imaginetur finem & fragilitatem rei, quam nimis amat; & si animositas fit nimis parva, oportet, quòd eam multiplicet imaginando sæpius rem, quam vult amare vel habere, & imaginando & memorando in ipsa ea, quæ sunt bona & nobilia, & obliviscendo in ipsa ea, quæ sunt vilia & mala.

21. Tibi, *Domine DEVS*, detur gloria & laus, quia Regula generalis est, quòd omnis homo se possit mutare de mala consuetudine ad bonam, dum velit; & hoc potest, quia est ei possibile concordare sensualitates cum intellectualitatibus in potentia rationali, & eas discordare à potentia sensitiva; quoniam, sicut homo fit malè assuetus per concordare intellectualitates cum sensualitatibus in sensitiva, per quam concordantiam sensitiva fit Domina rationalis, ita per contrarium fit bene assuetus, quando sensualitates concordant cum intellectualitatibus, & sunt eis subditæ in potentia rationali.

22. h. *DEVS* perfecte in misericordia & pietate! Sicut sunt tres viæ, per quas homo cadit in malas consuetudines sensualiter, ita, *Domine*, sunt tres viæ, per quas cadit in malas consuetudines intellectualiter; & harum prima est consuetudo naturalis; secunda consuetudo, quæ venit per educationem; & tertia consuetudo, quæ accidentaliter deviat hominem à consuetudine naturali & à consuetudine, quam habet per educationem; & hæc consuetudo est contraria duabus primis.

23. Quando homo, *Domine*, est malè assuetus sensualiter vel intellectualiter consuetudine, quam habeat per naturam vel per educationem, vel consuetudine contrariâ istis duabus consuetudinibus, si velit exire à sua mala consuetudine, oportet, quòd eam mortificet in illa via & radice, ex qua ipsa venit, & in qua est genita; quia si est malè assuetus per naturam, oportet, quòd mortificet suam naturam; & si est malè assuetus per educationem, oportet, quòd desuescat à sua mala educatione; &

si est malè affuetus consuetudine acciden-
tali, quam non habet per naturam nec per
educationem, oportet, quòd recurrat ad bo-
nam consuetudinem, quam habet per natu-
ram vel per educationem.

24. *Gratiose Domine!* Dux sunt viæ,
per quas venit homini bona vel mala con-
suetudo, quarum prima est aliqua vel ali-
quæ quatuor causarum, quæ sunt efficiens,
materialis, formalis, & finalis; & secunda est
casualitas, quæ est extra istas quatuor cau-
sas: unde, qui habet malam consuetudinem
& velit eam habere bonam, inquiret an sua
consuetudo veniat ei per aliquam quatuor
causarum, vel per casualitatem; & si inve-
niat, quòd veniat per aliquam causam, in-
quiret per quam causam ei veniat, & in illa
causa, per quam mala consuetudo ei ve-
nit, eam mortificet per contrarium ipsius;
& si inveniat, quòd sua mala consuetudo
veniat ei per casualitatem, eam mortificet
in ipsa casualitate mutando eam in quatuor
causas, quæ sunt contrariæ casualitati.

25. i. *Magne Domine super omnes magni-
tudines,*

tudines, excellens super omnes excellentias!
Sicut per potentiam vegetabilem homines
assuefiunt, alii victualibus calidis, & alii fri-
gidis secundum suam dispositionem & qua-
litate[m], ita per potentiam rationalem qui-
dam homines assuefiunt Fidei, & alii Ratio-
ni, quia secundum qualitate[m] & disposi-
tionem, in qua est actualitas potentia[e] ratio-
nalis in homine, est homo dispositus ad in-
cedendum per viam Fidei vel per viam
Rationis.

26. Homines assuefacti ad credendum
& ad habendum Fidem, *Domine*, sunt illi,
qui recipiunt dicta Prophetarum & aliorum
hominu[m] praeteritorum; & homines assuefac-
ti ad sequendum Rationem sunt illi, qui in-
quirunt dicta Philosophorum & petunt
rationes & probationes rerum, quae eis di-
cuntur & quas inquirunt.

27. Homines male assueti per creden-
tiam vel per Rationem, si se velint bene
assuefacere in credentia vel in ratione,
oportet, *Domine*, quod concordent sensua-
litate[m] cum intellectualitate[m] in potentia

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CXCIV. 409
rationali, & eas auferant à potentia sensiti-
tiva in tantum, quòd sensitiva sit subdita
& rationalis Domina; quia, quando poten-
tia rationalis sit Domina sensitivæ, semper
erunt credentia & Ratio in homine ordina-
tæ; & quando potentia rationalis sit serva
sensitivæ, semper erunt credentia & Ratio
in homine inordinatæ.

28. K. *Perfècte Domine in omnibus perfec-
tionibus, honorate in omnibus honorationibus!*
Quando homines credentes falsitatem se
assuefaciunt ad credendum suum errorem,
sua credentia vel Fides in tantum forma-
tur & generatur in potentia sensitiva, in
quantum rationalis potentia est serva &
subdita ipsi sensitivæ, & ideo forma Fidei
intellectualiter est falsa & contraria veritati
in rationali potentia, in qua nulla vera Fi-
des potest sumere formam, quamdiu sensi-
tiva sit Domina potentiæ rationalis.

29. Igitur homines, qui receperunt
falsam fidem à suis parentibus & antecesso-
ribus, si velint se assuefacere ad credendum
veritatem, *Domine*, oportet quòd aspiciant

&

& inquirent an sua Fides sumpserit formam in potentia rationali, existente ipsâ Domina sensitivæ, vel existente sensitivâ Domina ipsius; & si inveniunt, quòd hoc fuerit factum existente sensitivâ Domina rationalis, possunt cognoscere, quòd sua Fides sumpserit falsam formam; & si volunt relinquere falsam fidem & sumere veram, faciant rationalem potentiam Dominam sensitivæ, & tunc sua Fides recipiet veram formam.

30. Nam sicut speculum obliquum falsò repræsentat obliquam formam, ita, *Domine*, quando potentia sensitiva est Domina rationalis, Fides & Ratio falsò figurantur in potentia rationali, quæ recipit falsam Fidem vel falsam Rationem, quia est serva sensitivæ; sed sicut speculum verum verè repræsentat formam, ita, quando potentia rationalis est Domina sensitivæ,

semper repræsentat veram formam

Fidei vel Rationis, quæ repræ-

sentatio fit ad gloriam & lau-

dem nostri Domini

DEI.

CAPUT

QUOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat, quod divina Essentia non sit
corrupta nec alterata nec coinquinata
nec vilificata, licet sit conjuncta
cum humana natura.

1. **O** DEVS gloriose! Tibi, Domine,
a. fiat reventia & honor; quia res,
quæ alterantur vel corrumpuntur vel vili-
ficantur, oportet esse sensuales vel intel-
lectuales, & suam alterationem vel cor-
ruptionem vel vilificationem oportet ince-
dere per *quatuor vias*, quarum *prima* est
quando sensualitas corrumpitur per aliam
sensualitatem, *secunda* quando sensualitas
corrumpitur per intellectualitatem, *tertia*
quando intellectualitas corrumpitur per sen-
sualitatem, & *quarta* quando intellectu-
alitas corrumpitur per aliam intellectu-
alitem.

2. Igitur, quia omnis alteratio & cor-
ruptio & vilificatio incedit per istas quatuor
vias,

vias, & infideles nolunt credere, quòd tua Deitas sit unita cum humana natura, quia opinantur, quòd esset alterata & corrupta & vilificata, propterea tuus servus vult conari quantum potest probare rationibus necessariis tuam Deitatem non esse alteratam nec corruptam nec vilificatam, licèt Persona Filii sit incarnata, & per suam Incarnationem tua Deitas sit unita cum humana natura, in qua se incarnavit Persona Filii.

3. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia hanc inquisitionem & probationem oportet fieri in creaturis, ut per eas, quæ sunt finitæ & creatæ, possimus cognoscere, quòd, sicut ipsæ non alterantur nec corrumpuntur nec vilificantur, licèt conjungantur & uniantur aliæ cum aliis, ita & adhuc multò meliùs tua divina Essentia non sit alterata nec corrupta nec vilificata, licèt sit unita & conjuncta cum humana natura; quia si res finita & terminata non vilificatur nec corrumpitur in sua pari creatura, significatur, quòd Substantia æterna infinita

per-

perfecta omnipotens non sit vilificata nec corrupta in creatura, quæ per gratiam sit unita cum ipsa.

4. b. *Singularis Domine sine pari & socio!*
Sensualiter videmus radium solis non coinquinari, licet transeat per vias immundas, nec lucem candelæ obscurari, licet intret obscuram domum, nec folia nec flores, quæ oriuntur & pullulant ex terra stercoreata deturpari nec conspurcari, licet sint in tali terra.

5. Igitur, cum nos, *Domine*, sentiamus & intelligamus prædictas & alias res sensuales misceri & appropinquari & uniri aliis & tangi ab eis, quin per hoc corrumpantur nec conspurcentur in eis, quantum plus noster intellectus potest percipere tuam divinam Naturam, quæ est intellectualis, non corrumpi nec conspurcari, licet Persona Filii sit incarnata in humana natura, quæ est sensualis & intellectualis.

6. Igitur benedictus sis, *Domine DEVS*; quia sicut radius solis & lux candelæ & folia & flores, quæ sunt res finitæ & terminatæ,

nata,

natae, non conspurcantur in turpitudinibus & vilitatibus, quibus sunt conjunctae, quanto minus tua gloriosa Substantia, quae est infinita & aeterna & omnipotens recipit ullum defectum, licet sit unita cum tua Substantia humana, quae est creatura melior omnibus aliis?

7. c. *Juste Domine, a quo descendit & venit omnis Justitia & omnis abundantia Misericordiae!* Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus quasdam sensualitates esse, quae non vilificant nec corrumpunt quasdam intellectualitates, licet sint simul una substantia composita; & quod hoc sit verum, probatur & manifestatur in anima hominis justae; quia, licet ipsa sit conjuncta cum corpore vilificato & corrupto per famem & sitim & frigus & calorem & infirmitatem & mortem, tamen non vilificatur nec corrumpitur per ipsum corpus, imo, quod plus tribulationis & poenae in tuo servitio habet corpus, eod plus ipsa exaltatur & nobilitatur.

8. Igitur, cum corporalis materia, *Domine,*

Vol. II. Lib. III. Di. XXIX. Cap. CXCV. 415
mine, generet & corrumpat formam, & corpus hominis sit corruptibile ratione materiae, quæ est subjecta contrarietati formæ & privationis, & corpus, licet sit de natura corruptibili, non corrumpat naturam animæ, quæ est materia & forma spiritualis incorruptibilis, significatur, quod tua Substantia incorruptibilis immortalis & inalterabilis non corrumpatur, licet sit unita cum substantia humana in Persona Filii.

9. Igitur benedicta sit, *Domine*, tua virtuosa Deitas; quia est adeo magna sua magnitudo & sua nobilitas & sua potestas, quod, licet sit conjuncta & unita cum natura sensuali, tamen ista non habet potestatem nec naturam nec proprietatem, per quam possit eam debilitare nec corrumpere nec coinquinare, imò tota tua humana natura est glorificata & exaltata ad demonstrandum gloriam & excellentem nobilitatem ipsius tuæ Deitatis.

10. d. *O Domine DEVS, ad quem vadunt meæ cogitationes & meæ recordationes & omnes mei amores! Sensualiter sentimus*

mus & intellectualiter intelligimus aliquas intellectualitates esse, quæ non debilitant nec corrumpunt nec coinquant aliquas sensualitates, & hoc sentimus & intelligimus in anima hominis justī, quæ non debilitat nec corrumpit nec coinquant corpus, imò, quò ipsa est nobilior & virtuosior, eò plus corpus per eam mundatur & nobilitatur.

11. Igitur, cùm anima hominis, *Domine*, sit res creata, finita & terminata, & tamen custodiat & dirigat corpus hominis justī ne corrumpatur & coinquantur in peccato, quantò plus tua divina Natura custodit se ipsam ab omni corruptione, & custodit & salvat & sustinet & sanctificat & glorificat tuam glorificatam Humanitatem?

12. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia sicut in homine natura intellectualis sustinet & dirigit sensualem, ita & adhuc multò meliùs tua divina Natura, quæ est intellectualis, custodit & glorificat tuum Corpus, quod est natura sensualis; & si natura animæ sustinet corpus per virtutem

tutem, quam Tu ei dedisti, quantò plus
tuum Corpus humanum sustinetur in dig-
nitate & nobilitate, per quam sit in adeò
magna sanctitate, quòd ex parte naturæ ip-
sius non possit venire tuæ Deitati ulla co-
inquinatio nec ulla corruptio nec ullus de-
fectus?

13. e. *Domine Scitor & Cognitor omnium
bonorum & malorum!* Multæ intellectuali-
tates sunt, quæ non corrumpuntur nec co-
inquinantur nec debilitantur per alias in-
tellectualitates, & quòd hoc sit verum in
anima tui servi potest probari; quia, quan-
do ipsa incipit amare & memorare & velle
Te, statim incipit nobilitari & meliorari &
vivificari & sanctificari & mundari à suis
peccatis & à suis mortalibus defectibus.

14. Igitur, cum mea anima, *Domine*,
sit adeò exaltata & mundata memorando
& amando tuam Deitatem, & tua Deitas
non sit unita cum ipsa, & sit unita cum tua
Humanitate, & mea anima recipiat tan-
tam benedictionem à tua Deitate, quantò
majorem benedictionem recipit ab ea tua

Humanitas, quæ est unita cum ipsa? & cum tua Humanitas recipiat adeò magnam gratiam à tua Deitate, significatur quòd tua Deitas non recipiat ullam corruptionem nec ullam coinquinationem ab illa.

15. Si ita esset, *Domine*, quòd tua Deitas esset corrupta & coinquinata in conjunctione tuæ Humanitatis, significaretur quòd nostræ animæ, quò plus contemplantur in Te, & quò ferventiùs Te amerent & accederent ad Te memorando, intelligendo & volendo, eò plus corrumperent & coinquinarent tuam Deitatem, & quò plus tua Deitas corrumperetur & coinquinaretur, eò minus gratiæ & sanctitatis reciperent nostræ animæ à Te.

16. f. *O DEVS gratiose, in quo confidunt omnes meæ vires!* Per tuam gratiam & benedictionem probavimus & significavimus, *Domine*, nostræ sensualitati & intellectualitati quatuor modis prædictis, quòd tua Deitas non sit coinquinata nec corrupta, licèt sit unita & conjuncta cum humana natura; quia sicut quædam res sensuales

suales & intellectuales non corrumpuntur nec coinquinantur, licet uniantur & jungantur aliæ cum aliis, ita & adhuc multò meliùs significatur, quòd tua Deitas non sit coinquinata nec corrupta in conjunctione humanitatis.

17. Unde quando homines discredentes contrarii veritati audiunt, quòd Christiani affirmant & dicant Te esse incarnatum, opinantur, quòd tua Deitas esset corrupta & coinquinata, & ideo nolunt credere in tuam Incarnationem; sed si ipsi super hoc facerent inquisitionem sensualem & intellectualem secundùm quatuor modos supradictos, tunc invenirent tuam Deitatem non esse coinquinatam nec corruptam per tuam Humanitatem, licet sit conjuncta cum ipsa.

18. Si infideles, *Domine*, elevarent suum intellectum ad potentiam rationalem, & supponerent possibilitatem, quæ est oculus, quo intellectus hominis inquirat veritatem, esset eis possibile percipere & cognoscere, quòd tua Deitas non sit corrupta nec

coinquinata per conjunctionem cum tua Humanitate; sed quia ipsi à principio affirmant impossibilitatem, & dicunt esse impossibile, quòd tua Deitas non vilificaretur & coinquinaretur & corrumpereetur, si esset conjuncta cum humanitate, propterea non possunt habere suum intellectum directum ad percipiendum veritatem, eò quòd ipse non possit facere inquisitionem, nisi dubitando de aliqua re an sit possibilis vel impossibilis.

19. g. *Gloriose Domine, á quo recipimus gloriam & benedictionem!* Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus omnem creaturam habere in se defectum secundum respectum magnæ perfectionis, quæ est in Creatore; & quando creatura accedit ad suum Creatorem, se elongat à suo defectu & appropinquat perfectioni sui Creatoris; & quando Creator appropinquat suam perfectionem creaturæ, elongat eam à defectu, qui in ea est, & appropinquat eam suæmet perfectioni.

20. Igitur, cum tua humana natura,

Domine,

Domine, sit adeò unita & conjuncta cum tua Deitate, & tua Deitas sit adeò unita & conjuncta cum illa, per hoc significatur, quòd, quò major fuit facta unio ambarum naturarum, eò plús natura humana fuerit elongata à suo defectu, & eò plús natura divina demonstret in ea potestatem & perfectionem divinam.

21. Igitur, cùm tua humana natura, *Domine*, receperit majorem & nobiliorem honorationem, quàm ulla creatura potuerit unquam recipere in hoc, quòd sit una res cum tua Deitate, & tua Deitas demonstret in tua humana natura plus amoris & humilitatis & potestatis & gratiæ & justitiæ & misericordiæ & perfectionis, quàm in omnibus aliis creaturis, unde proveniret quòd tua Deitas corrumperetur & coinquinaretur in illa! hoc est, *Domine*, valde impossibile.

22. h. *Invocate Domine, benevolite, honorate ab omnibus populis!* Corruptio & coinquinatio, quæ est in creaturis, venit à contrarietatibus & discordantiis, quæ sunt in-

ter

ter quasdam res sensuales & alias, & inter quasdam res sensuales & intellectuales, & inter quasdam res intellectuales & alias.

23. Ratio, quare homo est corruptibilis & coinquinatus, est, *Domine*, discordantia & disconvenientia, quæ est inter corpus & animam ipsius; quia corpus corrumpit animam & eam coinquinat in peccato, quando anima facit contra suam naturam & obedit naturæ corporis; sed quia tua Deitas & tua Humanitas habent adeò magnam concordantiam & convenientiam, quòd nullam discordantiam & disconvenientiam faciat una alteri, unde proveniret, quòd tua Deitas corrumperetur & coinquinaretur à tua Humanitate?

24. Igitur benedicta sit, *Domine*, natura tuæ Deitatis & natura tuæ Humanitatis; quia tanta est concordantia & amor, qui est inter eas, quòd nulla corruptio nec ulla coinquinatio nec ulla vilificatio nec ulla discordantia sit inter ipsas, imò tota Deitas glorificet humanitatem, & tota humanitas obediat Deitati.

25. i. *Domine Creator omnium, quæ sunt!*
Tibi sit gloria & laus omni tempore; quia
si per conjunctionem tuæ benedictæ Hu-
manitatis cum tua gloriosa Deitate tua
Deitas coinquinaretur & corrumpere-
tur, significaretur, quòd tua Humanitas esset
injuriòsa tuæ Deitati, & si talis esset, sig-
nificaretur, quòd non posset esse unita cum
ipsa, quia nulla res culpabilis & injuriòsa
potest esse unita cum tua Deitate.

26. Si tua Deitas, *Domine*, esset unita
cum humana natura ratione alicujus indi-
gentiæ, quam haberet, significaretur in ea
esse defectum, & per istum defectum signi-
ficaretur ipsam posse recipere corruptionem
à conjunctione, quam fecit cum humani-
tate; sed quia Persona Filii se incarnavit ra-
tione nostræ necessitatis & non ratione suæ,
significatur, quòd si Deitas reciperet corrup-
tionem & defectum in Incarnatione, non
esset incarnata Persona Filii, cum tua Dei-
tas nihil faciat contra suam bonitatem &
virtutem.

27. Unde benedictus sis, *Domine DE-*
VS;

V S; quia per hoc, quòd incarnaveris Filium propter tuam Misericordiam & propter tuam magnam Bonitatem & propter tuam Perfectionem, significatur in tua magna Bonitate & in tua excellenti Perfectione, quòd tua Deitas non sit corrupta in conjunctione humanitatis.

28. K. *Domine vere D E V S, qui es vera pax & vera consolatio!* Si homines infideles discredentes tuam Incarnationem, quam ignorant & discredunt, affirmando in Te non esse ullam corruptionem, inquirerent in tua Incarnatione ordinationem & gratiam & benedictionem, quæ ex ea advenerunt humanæ speciei, non dicerent, quòd tua Deitas sit coinquinata & corrupta per hoc, quòd sit unita cum humana natura.

29. Sed quia infideles, *Domine*, affirmant, quòd Tu non sis incarnatus per hoc, quòd putent, quòd esses corruptus per incarnationem, propterea ignorant ordinationem, quæ advenit per tuam Incarnationem; & quia ignorant istam ordinationem, ignorant, quòd tua Deitas non sit corrupta

nec coinquinata, licet sit unita cum humana natura.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine DEVS*, fatetur & confitetur corde & ore in praesentia tui gloriosi Altaris, & in quocunque loco sit, tuam Deitatem esse unitam cum humana natura ratione Personae Filii, quae sola fuit incarnata, per quam Incarnationem & Unionem Deitas non est corrupta nec alterata nec coinquinata, licet Tu, *Domine JESV Christe*, sis simul natura humana & natura divina.

CAPUT CXCVI.

*QUOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat, quod mundus habuerit prin-
cipium.*

1. **O** *DEVS* mirabilis, virtuose, abundans
a. **O** *omnibus bonis* ! Qui vult inquirere
& invenire, *Domine*, per rationes necessarias, quomodo mundus habeat principium, oportet, quod concordet suam sensualita-
tem

426 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tem & suam intellectualitatem, ut sciat &
possit recipere significationes significantes
& demonstrantes quomodo mundus sit prin-
cipiatus & deductus de non *esse* in *esse*.

2. Cúm totus mundus, *Domine*, sit di-
visus in duas partes, quæ sunt sensualitas
& intellectualitas, oportet, quòd inquiramus
mundo principium inquisitione sensua-
li & inquisitione intellectuali, ut per in-
quisitionem sensualem inveniamus finem &
terminationem rerum sensualium, & per
inquisitionem intellectualem inveniamus
finem & terminationem rerum intellectua-
lium, & invento fine & terminatione utra-
rumque rerum poterimus percipere signi-
ficationes & demonstrationes, per quas cog-
noscamus, quòd mundus non sit finè prin-
cipio, imò receperit principium.

3. Quia homo, *Domine*, facillius ha-
bet demonstrationem de re sensuali, quàm
de intellectuali, propterea primò incipie-
mus à sensualitate; & quia firmamentum
est major sensualitas, quam homo videndo
possit in hoc mundo sentire, propterea in-
cipiemus

Vol. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CXCVI. 427
cipiemus in firmamento & postea transfibi-
mus ad elementa & postea ad individua
generata ex eis.

4. b. *Humilis Domine, pie, amorose!* Sen-
sualiter sentimus, quòd firmamentum sit
corpus compositum ex materia & forma, &
quòd sit terminatum & finitum in quan-
titate; & cùm ipsum sit finitum & ter-
minatum, significatur & demonstratur
quòd sit principiatum, quia omnis termi-
natio & finis significat defectum respectu
rei infinitæ, in qua significatur perfectio:
quare, si firmamentum non haberet princi-
pium in tempore nec devenisset de non *esse*
ad *esse*, non esset terminatum nec finitum
in quantitate nec in loco: igitur, cùm fir-
mamentum sit corpus finitum & termina-
tum in quantitate & loco corporali, de-
monstratur, quòd sit finitum & terminatum
in tempore.

5. Sicut substantia corporalis est defec-
tuosa in hoc, quòd careat quantitate ultra
terminos, in quibus est finita & terminata,
ita, *Domine*, demonstratur in defectu suæ

quantitatis eam esse defectuosam in hoc, quòd non sit sinè principio; quia sicut per quosdam defectus habet homo cognitionem de aliis, ita firmamentum per hoc, quòd habeat defectum magnitudinis infinitæ, significat & demonstrat se habere principium, quoniam in re infinita, quæ non habeat principium, non significatur ullus defectus.

6. Sensualiter sentimus & intellectua-
liter intelligimus, *Domine*, quòd firmamen-
tum non sit res habens vitam nec scientiam
nec sapientiam nec voluntatem nec alias
res, quæ ad vitam pertinent; & ratione is-
torum defectuum significatur, quòd firma-
mentum habeat principium, quia si ipsum
esset substantia infinita, haberet perfectio-
nem, & si eam haberet, haberet vitam &
virtutes pertinentes ad eam: igitur, cum
firmamentum non habeat vitam, significa-
tur in ipso, quòd non sit res, quæ sit digna
esse infinita nec esse sinè principio.

7. c. *O Domine, cujus mea memoria non
obliviscitur, & à quo mea desideria non sepa-
rantur!*

rantur ! Philosophi antiqui affirmarunt & dixerunt firmamentum esse æternum sine principio & fine ; & ratio quare hoc dixerunt, est, quia non senserunt ipsum generari nec corrumpi ; & si firmamentum esset æternum per hoc, quòd materia ipsius non generet nec privet formam, sequeretur, quòd animæ & Angeli & dæmones essent substantiæ æternæ sine principio, quia materia spiritualis non generat nec privat formam : igitur per hoc significatur, *Domine*, quòd sicut anima habet principium, licet non generetur nec corrumpatur, ita licet firmamentum non generetur nec corrumpatur, tamen non per hoc probatur, quòd sit sine principio.

8. Sicut cognoscitur in anima hominis principium per hoc, quòd ipsa sit finita, & corrumpatur in peccato, ita, *Domine*, in firmamento cognoscitur principium per aliam significationem, quæ non est similis significationi elementalì ; quia per hoc, quòd una res sint elementa, alia firmamentum, & alia anima hominis, unâ significatione cognoscitur

noscutur firmamentum esse principiatum, & aliâ elementa, & aliâ animam hominis: igitur propterea errarunt Philosophi attribu-
entes firmamento infinitatem temporis per hoc, quòd non viderint ipsum generabile & corruptibile sicut corpora composita ex elementis.

9. Unde sicut anima hominis, *Domine*, demonstratur finita & terminata & principata per demonstrationem intellectualem, licèt non sit corruptibilis nec generabilis sensualiter sicut sunt corpora composita ex elementis, ita firmamentum demonstratur finitum & terminatum in tempore per demonstrationem & significationem intellectualem, licèt non sit generabile nec corruptibile in figura; quia sicut Tu posuisti formam animæ in materia, in qua ipsa non corrumpitur, ita potuisti ponere formam firmamenti in materia, in qua ipsa non corrumpatur: igitur benedictus sis Tu, *Domine*, quia sicut materia spiritualis non privatur formâ per corruptionem, ita voluisti, quòd materia firmamenti non privetur formâ per

cor-

corruptionem.

10. d. O Domine DEVS, qui es totum meum gaudium & tota mea consolatio & totum meum solatium ! Naturale est rei infinitæ & æternæ non generare in se rem accidentalem, quia res infinita & æterna non habet in se ullum accidens: igitur, cùm firmamentum sit mobile, & per suum motum generet tempus, quod est res accidentalis, cùm ipsum sit illa res, quæ sequitur motum firmamenti, & sit impossibile, quòd res accidentalis generetur in re æterna infinita, significatur firmamentum esse finitum in tempore per hoc, quòd tempus, quod est res accidentalis, generetur in motu ipsius.

11. Sensualiter sentimus, Domine, firmamentum ratione sui motus multiplicare horas & dies & annos, & quanta est multiplicatio, tantum crescere numerum horarum & dierum & annorum: igitur, cùm numerus non sit multiplicatio de natura rei infinitæ & æternæ & sinè principio, per hoc demonstratur intellectualiter firmamentum habere principium, quam demonstrationem

monstrationem intellectualem recepimus
ratione demonstrationis sensualis, quam fir-
mamentum facit de multiplicatione hora-
rum & dierum & annorum in suo motu.

12. Si firmamentum, *Domine*, esset si-
nè principio, non esset creatura nec esset
Creator, & esset in se ipso quatuor causæ,
quia ipsum moveret suam materiam & su-
am formam, & ipsum esset causa finalis ad
quam se moveret; & si ita esset, signi-
ficaretur, quòd firmamentum esset in se
ipso actio & passio, quia moveret se ipsum:
igitur, cum actio & passio sint duæ res con-
trariæ, si firmamentum esset sinè principio,
sequeretur, quòd duo contraria essent si-
mul sinè principio, & hoc est impossibile,
cum passio non sit digna esse in nobilitate
æqualis actioni.

13. e. *O Domine, qui es Causa, in
qua alleviantur mei dolores & mei labores,
& in qua augentur mei amores! Bene scis
Tu, quòd omne corpus mobile moveatur vel
motu naturali vel motu non naturali; & si
firmamentum movetur ab alio & non à se
ipso,*

ipso, significatur, quòd suus motus sit coactus & constrictus, & motor ipsius significatur esse nobilior ipso, cùm res movens sit nobilior re motâ: igitur, cùm res nobilior habeat dignitatem antecedendi rem minus nobilem, significatur, quòd si firmamentum moveatur ab alio, sit principiatum.

14. Si ita est, *Domine*, quòd firmamentum moveatur naturaliter & non coactè, significatur, quòd per suum motum inquirat suam perfectionem; quia sicut plumbum naturaliter movetur deorsum ratione ponderositatis, quæ inquirat locum, quem non habet, ita si firmamentum moveretur per se ipsum, moveretur ad habendum perfectionem, quam non habet; quoniam sicut plumbum non habet suum complementum, dum cadit per aerem, ita firmamentum non haberet suam perfectionem dum moveretur.

15. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia omnis res mobilis, quæ inquirat suam perfectionem, significat se habere de-

E e

fectum

fectum per hoc, quòd moveatur ad habendum id, quod non habet: igitur, si firmamentum naturaliter moveretur ad habendum perfectionem, ei deficeret perfectio; & si ita esset, ille defectus daret significationem & demonstrationem de principio, cum nulla res carens perfectione possit esse sine principio.

16. f. *Domine complete omnibus bonis, a quo speramus gratiam & benedictionem.*

Motus firmamenti, vel est firmamento necessarius vel non; & si motus est firmamento necessarius, significatur, quòd firmamentum non sit æternum, cum res æterna & non habens principium non possit indigere ullâ re; & si motus non est firmamento necessarius, significatur, quòd firmamentum moveatur frustra quantum ad se ipsum; & si motus firmamenti est frustraneus, demonstratur firmamentum non esse sine principio, cum nulla res æterna faciat aliquid frustra.

17. Si firmamentum movetur ratione necessitatum hominis & non ratione suarum,

rum, *Domine*, significatur ipsum esse in servitute hominis, & ista servitus demonstrat ipsum habere principium; quia, si firmamentum non haberet principium, significaretur, quòd non esset subditum homini, qui est res finita habens principium, cùm nulla res existens in *esse* sine principio possit esse obligata & subdita rei habenti principium.

18. Cùm nos sentiamus & intelligamus, *Domine*, firmamentum esse subditum servituti hominis, & hominem non esse obligatum nec subditum servituti firmamenti, cùm firmamentum sit sine intellectu & ratione & cognitione & vita, & nulla res possit recipere servitium nisi in ea sint prædictæ res, per hoc significatur & demonstratur, quòd firmamentum sit principiatum, cùm serviat rei habenti vitam & cognitionem & rationem, quæ est principiatum, scilicet homini.

19. g. *Domine vere DEVS, qui es tota nostra vita & totus noster thesaurus! Cùm per tuam gratiam & per tuum adjutorium*

probaverimus, quòd Tu sis in *esse* infinitus & æternus sinè ullo principio, si firmamentum esset infinitum & æternum sinè principio, essent duæ substantiæ infinitæ & æternæ sinè ulla concordantia & similitudine in natura, cùm Tu sis Substantia intellectualis & firmamentum sit substantia sensualis, & hoc est impossibile, quia substantia sensualis non significatur esse in tanta nobilitate, in quanta est tua, quæ est intellectualis infinita & æterna.

20. Si firmamentum non haberet principium, Tu, *Domine*, non esses ante firmamentum; & si ita esset, firmamentum esset Tibi æquale in duratione; & cùm tua Substantia sit infinita & substantia firmamenti sit finita, significatur in tua Infinitate & in finitate firmamenti tuam Substantiam esse multò meliorem & nobiliorem in magnitudine & potestate & durabilitate, quam substantia firmamenti, & per hoc significatur, quòd firmamentum non habeat ullam æqualitatem cum tua Deitate.

21.

Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & laus;

laus; quia, postquã probaverimus firmamentum habere principium, per quod intellectualiter significatur ipsum habere Creatorem, oportet facere inquisitionem in rebus, quæ sunt intrã firmamentum, ut percipiamus in eis principium, per quod intellectualiter significetur & demonstretur homini ipsas habere Creatorem.

22. h. *Domine, cui obedimus, Domine, quem timemus, Domine, quem desideramus!* Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus quatuor elementa esse finita & terminata intrã firmamentum, quæ elementa sunt materia & subjectum generationis & corruptionis in corporibus compositis ex materia & forma elementalibus.

23. Igitur, cùm elementa, *Domine*, sint finita & terminata in quantitate, & sint contraria adinvicem in qualitatibus activis & passivis, per hoc significatur, quòd habeant principium, per quod venerint in *esse*, in quo non erant ante suum principium, quia impossibile est ullam rem esse ante suum principium.

24. Cùm

24. Cúm probaverimus, *Domine*, firmamentum habere principium, & ipsum habeat actionem in corpora elementata, quæ per ipsum & per ordinationem ipsius reguntur, significatur & demonstratur, quòd elementa habeant principium, quia impossibile est firmamentum, quod habet actionem in elementa, habere principium, & elementa esse æterna sine principio.

25. i. *Sanctificate Domine, gratiose, de quo est inamoratus tuus servus!* Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus, quòd animalia & vegetabilia & metalla & omnia composita ex elementis & ex natura sensuali & intellectuali sint in defectu per hoc, quòd omnia generentur & corrumpantur & alterentur & habeant finem & passionem.

26. Igitur, cúm omnia corpora derivata ex elementis, *Domine*, habeant multos defectus, per hoc demonstratur ipsa habere principium, per quod significatur ipsa non esse æterna; & per principium, quod sentimus in animalibus & vegetabilibus & metallis, significatur & demonstratur ele-

menta

menta simplicia habere principium; quia per hoc, quòd elementa in sua compositione habeant principium, significatur, quòd etiam habeant ipsum in sua simplicitate, cùm omnis substantia, quæ in sua compositione habet principium, significet se habere principium in sua simplicitate, quoniam si esset finè principio in sua simplicitate, etiam esset finè principio in sua compositione.

27. Cùm nos, *Domine DEVS*, inceperimus à substantia sensuali & in ea à firmamento, & ab ipso descenderimus ad elementa & ab ipsis ad corpora composita ex eis, ratio & ordinatio requirit, quòd postquam in omnibus istis rebus invenimus principium, inquiramus ipsum in substantia intellectuali, ut, sicut per principium substantiæ sensuales significatur nobis Creator ipsius, ita per principium substantiæ intellectualis significetur nobis Creator ipsius.

28. K. *O Domine DEVS, qui das consilium & doctrinam omnibus, qui pro amore Tui laborant: Substantia intellectualis, in qua*

qua inquirimus principium, est omnis substantia composita ex materia & forma intellectualibus, sicut sunt Angeli & dæmones & animæ hominum; & quia istæ substantiæ sunt intellectuales, oportet inquisitionem esse intellectualem; igitur per hoc, quòd intellectualiter intelligamus defectum in omnibus istis substantiis, secundum quod ipsum nobis demonstrant qualitates & proprietates earum, significatur ipsas habere principium.

29. Intellectualiter intelligimus, *Domine*, Angelos & dæmones & animas hominum esse res finitas per hoc, quòd non sint in omni loco, nec habeant omnem sapientiam, nec habeant omnes unam voluntatem nec unam imaginationem nec unam potestatem, nec faciant æqualiter id, quòd faciunt: igitur per omnes istas diversitates & per culpas & peccata, quæ cadunt in animas hominum & in dæmones, significatur, quòd habeant multos defectus in comparatione tuæ Perfectionis.

30. Igitur benedictus sis, *Domine DE-*

VS,

*V*S, quia per hoc, quòd in omnibus prædic-
tis substantiis significantur defectus, signi-
ficatur & demonstratur intellectualiter om-
nes ipsas habere principium; quia si prin-
cipium non haberent & essent æternæ, de-
monstraretur in eis non esse ullum defec-
tum: igitur per hoc, quòd omnis substan-
tia intellectualis composita intellectualiter
significet principium, significatur in suo
principio Creator, cùm nulli rei possit dari
principium sinè Creatore, qui es **Tu nos-
ter gloriose DEUS.**

CAPUT CXCVII.

**QVO MODO HOMO PER SIG-
nificationes sensuales & intellectuales per-
cipiat & cognoscat futuram esse Resur-
rectionem.**

1. DEVS humilis, Pacificator, pie &
a. D simplex & suavis! Quia dies Re-
surrectionis non est in tempore præsentis,
Domine, oportet inquirere an ipsa sit futura,

&

& hanc inquisitionem oportet fieri in intellectuali natura, ad quam pertinet elevare intellectum per significationes sensuales dantes demonstrationes de rebus intellectualibus.

2. *Gloriose Domine!* Quia inferiores gradus sunt res sensuales, & per ipsos ascendit homo ad intelligendum res intellectuales, oportet prius recipere significationes sensuales, ut possit & sciat recipere significationes intellectuales, quas non posset recipere, nisi prius haberet cognitionem & demonstrationem de rebus sensualibus.

3. Unde, quia nostra intentio est, *Domine*, inquirere & probare per rationes necessarias diem Resurrectionis esse futuram, & omnes res futurae sunt nobis intellectuales, dum sunt in tempore futuro, propterea de gradu in gradum transferemus & elevabimus nostrum intellectum de quibusdam sensualitatibus ad alias & de sensualitatibus ad intellectualitates, & de quibusdam intellectualitatibus ad alias, & hoc faciemus quousque manifestè & veraciter
noster

nonne intellectus percipiat & intelligat id, quod inquirimus.

4. b. *Memorate Domine ab omnibus populis, laudate ab omnibus linguis !* Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus elementa & individua composita ex eis esse ordinatè creata & naturata secundùm quod convenit qualitati & dispositioni, propter quam sunt facta & creata & posita in *esse*.

5. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia per ordinationem & dispositionem, in qua sentimus & scimus creaturas, significatur & demonstratur futuram esse Resurrectionem; quoniam si ipsa non esset futura tota ordinatio, quæ est in creaturis, esset facta frustra, & si ita esset, non esset ordinatio, imò esset disordinatio, cum, quidquid sit frustra, sit contrarium ordinationi.

6. *Virtuose Domine !* In quantum res demonstratur ordinata, in tantum significat se esse factam propter aliquem finem, & in quantum res demonstratur inordinata, in tantum demonstrat se esse factam frustra sine

nè

444 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
nè ullo fine : unde, si non esset futura Resurrectionis, ordinatio, quæ est in elementis & in compositis ex eis, non esset proficua nec haberet ullum finem ; & quia ordinatio significando & demonstrando se ipsam significat & demonstrat finem, propterea finis significat & demonstrat diem Resurrectionis futuram.

7. c. *Potens Domine super omnes vires & super omnes potestates !* Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus nostros sensus corporales non sentire diem Resurrectionis, quia ipsam non videmus in tempore, in quo sumus, nec eam audimus nec gustamus nec palpamus nec odoramur : igitur, cum hoc ita sit, certum est, quod in tempore præsentis non sufficiant nostri sensus corporales ad sentiendum diem Resurrectionis.

8. Sed licet nostri sensus corporales non sufficiant, *Domine*, ad sentiendum diem Resurrectionis, tamen nostri sensus spirituales, qui sunt nobiliores corporalibus, sufficiunt ad attingendum & percipiendum

&

& cognoscendum ipsam, & eam percipimus recipiendo significationes sensuales, quæ eam significant nostris sensibus spiritualibus.

9. Id, per quod sensus spirituales percipiunt diem Resurrectionis in significationibus sensuum corporalium, est, *Domine*, quia sensus corporales in hoc, quod faciunt manducando & bibendo & videndo & audiendo & palpando & odorando, significant se esse habituros præmium gloriæ vel pœnæ; & nisi esset futura resurrectio, frustra hoc significarent, cum non possint præmium habere justè nisi sit resurrectio: igitur, cum ista significatio sensuum corporalium sit plus vera quàm mendax, plus obligatur homo ad affirmandum resurrectionem quàm ad negandum ipsam; quoniam in quantum sensus corporales dant majorem significationem de præmio habendo quàm de non habendo, in tantum est homo plus obligatus ad affirmandum quàm ad negandum resurrectionem, ut sensus corporales præminentur, & maximè, cum non sit periculum

446 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
culum in affirmatione resurrectionis, & sit
periculum in negatione ipsius.

10. d. *Cælestis Domine, á quo habemus
omne adiutorium & omnem sustentationem!*
Sensualiter sentimus & intellectualiter in-
telligimus in sensibus spiritualibus vitia &
virtutes: igitur per vitia & virtutes, quæ
sunt in sensibus spiritualibus, significatur
resurrectio, quia vitia & virtutes significant
præmium, quod non haberent sensus spiri-
tuales nisi esset resurrectio.

11. *Cum corpus & anima faciant si-
mul bona vel mala opera in hoc mundo,
significatur, Domine, quòd simul debeant
habere præmium, quia, si ipsum non habe-
rent simul, demonstraretur quòd sententia
non esset vera nec justa: igitur, cum sensus
corporales sint adiutores spiritualium &
sensus spirituales corporalium, significatur,
quòd simul habebunt gloriam vel pœnam
perdurabilem, quam non possent habere
nisi esset resurrectio, in qua anima & cor-
pus reunirentur.*

12. *Unde, sicut per opera corporis sig-
nificatur*

nificatur resurrectio, quia sine ipsa corpus non posset premiari, ita, *Domine*, per opera animæ significatur resurrectio, quia sine ipsa non posset premiari anima simul cum corpore, quod eam iuvit & ei consensit in operibus bonis vel malis.

13. e. *O Domine DEVS, qui es Sanctus Sanctorum & Dominus Dominorum!* In libera voluntate faciendi bonum vel malum, quæ est in homine, significatur resurrectionem esse futuram; quia nisi resurrectio esset futura, ista libera voluntas esset frustra & sine ulla utilitate.

14. Igitur, cum significetur & demonstratur, *Domine*, quod libera voluntas non sit in homine frustra, imò sit ei data ut mereatur perfectum præmium boni vel mali, propterea est homo plus obligatus ad affirmandum & fatendum resurrectionem quam ad negandum ipsam; quia in quantum libera voluntas significat Resurrectionem, in tantum obligatur homo ad affirmandum & fatendum & credendum ipsam.

15. Unde

15. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia, quantum carentia liberæ voluntatis significat in brutis non esse futuram Resurrectionem, tantum libera voluntas significat in hominibus Resurrectionem esse futuram.

16. f. *Creator Domine cæli & terra & omnium rerum* ! In tuo glorioso *Esse* significatur omnes homines esse resuscitandos, quia per hoc, quòd sis infinitus & æternus & totaliter perfectus, significatur, quòd omnes homines debeant resurgere & durare perdurabiliter, ut perdurabiliter cognoscant tuam perfectionem & tuam honoratam honorificentiam.

17. Si Resurrectio non esset futura, *Domine*, significaretur, quòd tua *Essentia* non esset cognoscenda perdurabiliter in illa nobilitate & bonitate, in qua est digna cognosci & laudari : igitur per hoc, quòd sit adeò magna tua Bonitas, & sit digna æternaliter amari & laudari & cognosci, demonstratur futuram esse Resurrectionem.

18. Sensualiter sentimus & intellectu-

Vo. II. Li. III. Di. XXIX. Cap. CXCVII. 449
liter intelligimus, *Domine*, quòd homo in
hoc sæculo Te amet & laudet & timeat &
Tibi seruiat: igitur, si Resurrectio non es-
set futura, significaretur, quòd homo Te
amaret & honoraret & Tibi seruiret in hoc
sæculo plus quàm in alio, quia sinè Resur-
rectione non esset homo nisi in hoc sæculo,
cùm ipse non possit esse sinè corpore & ani-
ma: igitur, quia istud sæculum est factum
propter aliud, & homo Tibi seruit in hoc
sæculo, significatur, quòd homo habiturus
sit plus perfectionis in alio sæculo quàm in
isto, & quòd sit amaturus & laudaturus Te
& habiturus plus gloriæ in alio sæculo quàm
in isto: igitur, cùm hoc ita sit, significatur
Resurrectionem necessariò oportere esse fu-
turam.

19. g. *Rex Regum & Domine Dominorum!*
Qui vult inquirere & invenire significatio-
nes diei Resurrectionis, oportet, quòd eas
inquirat intellectualiter in tuis qualitati-
bus, quæ dant significationes & demonstra-
tiones de illa, significando & demonstrando
suammet bonitatem & perfectionem.

Ff

20. Quando

Quando homo, *Domine*, contem-
platur in tua magna Sapiencia ex omnibus
viribus suæ animæ, & inquirit in ipsa an
possit cognoscere diem Resurrectionis esse
futuram, tua Sapiencia ei significat intel-
lectualiter illam diem esse futuram; quia
nisi ipsa esset futura, tua Sapiencia non sig-
nificaretur humano intellectui perfecta;
quoniam nisi homines essent resuscitandi,
tua opera non essent sapienter facta nec ha-
berent ullam ordinationem: igitur, cum
omnia tua opera sint sapienter facta & or-
dinata, tua Sapiencia significat futuram esse
hominum Resurrectionem.

21. *Virtuose Domine!* Tuus magnus
Amor dat significationem & demonstratio-
nem de futura Resurrectione, quia sensua-
liter sentimus & intellectualiter intelli-
mus Te amare nos in hoc sæculo tanquam
homines, cum nos feceris homines, & nos
amare Te tanquam homines, cum simus na-
turati naturâ humanâ: igitur, si Resurrectio
non esset futura, significaretur, quod tuus
Amor non esset perfectus in amando nos in
alio

alio sæculo, eò quòd non amares nos tanquam homines, cùm finè Resurrectione non essemus in alio sæculo in humana specie, & dum non essemus in humana specie, non possemus amare Te illo amore, quo homo amat habendo humanam naturam: igitur, cùm tuus Amor, *Domine*, amet homines, & ipsi ament Te cum natura amoris humani, per hoc significatur Resurrectionem hominum esse futuram.

22. h. *O JESU Christe Domine gloriose, amorose!* Quando homo contemplatur in tua mirabili Potestate, & in ea inquit an nostra Resurrectio sit futura, tunc suus intellectus considerat & æstimat, per quid plús & meliús significetur tua Potestas, scilicet per affirmationem Resurrectionis vel per negationem ipsius; & quando homo sapienter recipit significationes tuæ Potestatis, & sequitur naturam sui intellectus non inclinati ad unam nec ad aliam partem, percipit & cognoscit, quòd per affirmationem Resurrectionis significetur magna & perfecta tua Potestas, & per negationem

non;

452 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
non; & per hoc videt, quòd veritas fit in
affirmatione Resurrectionis & non in nega-
tione ipsius.

23. Quando homo, *Domine*, contem-
platur in tua magna Largitate, potest in
ea recipere significationes & demonstratio-
nes de futura Resurrectione; quia multò
plùs significatur & demonstratur magnitu-
do tuæ Largitatis per affirmationem Re-
surrectionis quàm per negationem ipsius,
cùm multò majus & nobilius donum sit
dare in paradiso gloriam animæ & corpori
glorificato, quàm soli animæ sinè conjuncti-
one corporis glorificati; & quia per Resur-
rectionem multò meliùs significatur nobis
tuam Largitatem esse magnam, quàm signi-
ficaretur si non esset Resurrectio, per hoc
significatur & demonstratur esse futuram
Resurrectionem & diem tuæ mirabilis Sen-
tentiaë.

24. In tuo honorato Dominio, *Domine DEVS*, significatur & demonstratur
verum esse, quòd omnis homo resuscitabi-
tur; quia, quantum humana natura pos-
sidentur

fidetur sub tuo Dominio in hoc sæculo, tantum significatur ipsam esse possidendam in alio sub ipso; & si homo non resuscitaretur, tuum Dominium non possideret ita perfectè humanam naturam in alio sæculo sicut in isto, quia in eo careret homo naturâ sensuali; & si hoc ita esset, significaretur, quòd tua possessio esset major in hoc sæculo quàm in alio: igitur, cùm tuum Dominium in hoc sæculo & in alio sit perfectum, significatur in ipso, quòd omnis homo resuscitabitur.

25. i. *Vere Domine, gloriose, amorose!* Qui vult inquirere significationes & demonstrationes de futura Resurrectione, in tua Justitia potest eas invenire & percipere; quia per hoc, quòd corpus hominis Tibi serviat & obediat in hoc sæculo cum omnibus suis quinque sensibus sensualibus jejunando, sitiendo, esuriendo, laborando & vigilando, significatur in tua Justitia ipsum corpus esse resuscitandum, ut recipiat præmium, quia aliter Tu non esses justus: igitur, cùm Tu, *Domine*, sis justus, significatur in tua Justitia

titia

titia futuram esse Resurrectionem.

26. Si Resurrectio non esset futura, *Domine*, sensus sensuales hominum peccatorum, qui mentiando & blasphemando & luxuriando & epulando & inebriando se & occidendo & invidendo & vilipendendo sunt Tibi inobedientes in hoc saeculo, non punirentur secundum magnos defectus, quos contra Te faciunt; & si ipsi non punirentur, significaretur, quod Tu non esses justus: igitur, ut significetur & demonstretur, quod Tu sis justus, necessario oportet omnem hominem sive bonum sive malum resuscitari ad recipiendum & manifestandum tuam magnam Justitiam.

27. Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus, *Domine*, in perfectione artificis significari perfectionem operis, & in perfectione operis significari perfectionem artificis; & si nostra Resurrectio nunquam esset, tuum opus non esset perfectum, & si non esset perfectum non significaret nobis tuam Perfectionem: igitur, cum Tu, *Domine*, sis perfectus in omnibus tuis operibus,

ribus, in tua Perfectione significatur perfectio tui operis, & per perfectionem tui operis significatur nostra Resurrectio.

28. K. *O Domine, qui amaris ex omnibus viribus mea memoria & mei intellectus & mea voluntatis!* In hoc, quòd Tu assumpseris humanam carnem & mortuus sis pro nobis & resurrexeris tertiâ die, significatur nostra Resurrectio; quia sicut Tibi placuit incarnari & mori pro nobis, ita significatur, quòd adeò ames nos, quòd velis nos resuscitare; & per hoc, quòd resuscitaveris tuum corpus, significatur, quòd etiam velis resuscitare omnia nostra corpora, quæ sunt illius naturæ, cujus est tuum.

29. Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & laus omni tempore, quia omnes nostræ sensualitates & intellectualitates sensualiter & intellectualiter dant significationem de die Resurrectionis; sed quia illa dies est in hoc tempore invisibilis, & multi homines non sciunt recipere significationes sensuales nec intellectuales, propterea multi ignorant & discredunt illam diem.

30. Igitur,

30. Igitur, qui dubitat de die Resurrectionis, *Domine*, si velit certificari de ipsa, oportet, quòd sciat recipere significationes tuarum Qualitatum & significationes creaturarum sensualiter & intellectualiter; & oportet, quòd per quasdam sensualitates sciat intelligere alias, & per sensualitates sciat intelligere intellectualitates, & per quasdam intellectualitates sciat intelligere alias ad gloriam & laudem sui Domini DEI.

CAPUT CXCVIII.

QUOMODO HOMO PERCIPIAT & cognoscat illas res, quæ ei eveniunt ad suum bonum & ad suam utilitatem, & ipse putat, quòd ei eveniant ad suum malum & ad suum damnum.

1. **J**ESU Christe Domine virtuose, amabilis, pie, gloriose! Quia homo est ex naturis sensuali & intellectuali, eveniunt ei res bonæ & malæ sensualiter & intellectualiter;

tualiter; & res, quæ sunt bonæ vel malæ sensualiter, se habent ex parte corporis; & res, quæ sunt bonæ vel malæ intellectualiter, se habent ex parte animæ.

2. *Gloriose Domine!* Quia bona & mala, quæ veniunt homini, differunt per hoc, quòd quædam sint in intellectualitate & quædam in sensualitate, propterea multoties evenit, quòd quædam eveniant homini, quæ sunt bona in intellectualitate & ipse putet esse mala in sensualitate, & multoties evenit, quòd quædam eveniant ei, quæ sunt mala in intellectualitate & ipse putet esse bona in sensualitate.

3. Quia quidam homines amant bona intellectualia plús quàm sensualia, & quidam amant bona sensualia plús quàm intellectualia, evenit, *Domine*, quòd amantes bona intellectualia plús quàm sensualia cognoscant quænam res sint bonæ & quænam malæ sensualiter & intellectualiter per hoc, quòd suus intellectus sit directus per ordinatum amorem; sed amantes bona sensualia plús quàm intellectualia putant esse

bonas

bonas res malas & esse malas res bonas per hoc, quòd suus intellectus sit turbatus per inordinatum amorem, ratione cujus natura sensualis est in eis domina naturæ intellectualis.

4. b. *O Domine, qui natus es de Virgine gloriosa!* Quando homines amantes bona sensualia plus quàm intellectualia perdunt filios vel parentes vel amicos, quos multum amant, opinantur quòd eveniat in suum damnum & malum id, quod est ad suam magnam utilitatem; quia sicut vita suorum filiorum vel parentum vel amicorum erat eis occasio superbiæ & vanæ gloriæ & faciendi injurias & iniquitates, ita mors illorum est eis occasio humilitatis & satisfactionis & pœnitentiæ.

5. Quando homines habentes potentiam rationalem servam & subditam sensitivæ perdunt & patiuntur detrimentum in divitiis, *Domine*, opinantur illam perditionem esse ad suum damnum, quæ est ad suam utilitatem per hoc, quòd sit eis occasio evitandi vanam gloriam divitiarum, & habendi

bendi patientiam & agendi Tibi gratias, ita in hoc, quod perdunt, sicut in hoc, quod lucrantur; sed quia ipsi ignorant omnes istas res, ideo putant esse ad suum damnum, quod est ad suam utilitatem.

6. Homines amantes vitam & sanitatem corporalem plus quam spiritualem, *Domine*, quando evenit, quod infirmentur per vulnera vel per fractionem membrorum vel per intemperantiam humorum, opinantur illam infirmitatem esse eis damnosam, quæ est eis proficua in quantum est eis occasio sanandi & purificandi suam animam à gravibus peccatis & culpis, à quibus est infirmata & deviata à cœlesti gloria.

7. c. *O Domine, qui fuisti crucifixus & mortuus ad restaurandam humanam speciem!* Multæ sollicitudines & labores eveniunt hominibus, quæ sunt ad magnam utilitatem corporis, & ipsi putant esse ad magnum damnum ipsius; quia per labores corporales multoties corpus est sanius quam esset, si non laboraret, cum labor consumat superfluitatem, quæ est corpori occasio infirmitatis,

tatis, per quam venit ad mortem.

8. Multoties evenit homini, *Domine*, tristitia & ira, & ipse opinatur illam dare ei damnum; sed, si ipse bene sciret attendere, perciperet illam iram & tristitiam esse ei proficuum, dummodo eam mortificaret, & vinceret se ipsum habendo abstinentiam & patientiam & non sinendo se duci & vinci ab illa: igitur, cum talis victoria sit valde meritoria, potest homo plus lucrari refrænando & vincendo & mortificando suam iram quam ullo alio modo: unde benedictus sis Tu, *Domine*, quia valde pulchra ordinatio est, quod ira, sicut est homini valde periculosa, ita, si eam refrænnet, sit ei occasio magni lucri.

9. Multoties evenit, *Domine*, quod homo habeat magnum fervorem faciendi aliquas res, & accidit, quod habeat aliqua impedimenta, ratione quorum non possit illas facere, & ideo putat illa impedimenta esse ad suum damnum, quæ multoties sunt ad suam magnam utilitatem, quia melius est ei non facere res, quas vult facere, quam
si

si eas faceret, & propterea putat esse ad suum damnum, quod est ad suam utilitatem.

10. d. *Liberalis Domine erga omnes creaturas!* Multoties evenit, quòd per nimiam accelerationem provenientem à nimis magna animositate, vel per nimiam retardationem provenientem à nimis pauca animositate, non veniant ad perfectionem multa bona, quæ tractantur: igitur quando homo est nimis animosus, res refrænantes suam nimiam animositatem, quas ipse reputat sibi malas, sunt ei bonæ, quia sunt ei occasio temperandi illam; & quando homo est nimis tardus & piger, res excitantes in eo animositatem & diligentiam, quas ipse reputat sibi malas, sunt ei bonæ, quia sunt ei occasio diligentia.

11. *supra* Multæ tentationes eveniunt homini, *Domine*, ad suam meliorationem & ad suam utilitatem, quas putat esse ad suum damnum, quia ponunt eum in labore & tribulatione & periculo; sed quando homo scit illis resistere & eas vincere, sunt ei valde

de

462 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
de proficua, quia dat ei valde magnum
meritum sua resistantia & victoria.

12. *Mirabilis Domine!* Multoties ho-
mo obliviscitur & ignorat aliquas res ad
suam meliorationem & ad suam utilitatem,
& ipse inde habet iram & poenam, quæ ta-
men, si eas memoraret & sciret, essent ad
suum damnum, quia per memoriam & sci-
entiam, quam haberet de illis rebus, face-
ret multa mala, quæ non facit, eò quòd il-
las obliviscatur & ignoret.

13. e. *O JESU Christe Domine, qui ap-
paruisti Apostolis ut eos consolareris!* Multi
homines sunt pauperes ad suam utilitatem
& ad suum bonum, & putant suam pauper-
tatem esse ad suum damnum & ad suum
malum; quia, quando homines ratione suæ
paupertatis sentiunt famem & frigus &
alias passionem, & habent in eis patientiam,
melior est eis paupertas, quàm essent eis di-
vitia, si non haberent patientiam nec Tibi
grati essent propter ipsas.

14. Multi homines, *Domine*, habent
poenam & tristitiam, quando illuduntur &

reprehenduntur & contemnuntur in aliquibus rebus, quas faciunt pro tuo amore, & melius est eis illudi & reprehendi & contemni pro amore Tui, dummodo habeant patientiam & sint Tibi grati & ament illos, qui eos illudunt & reprehendunt & contemnunt, quàm esset non illudi nec reprehendi nec contemni.

15. Quando homo, *Domine*, vult vincere & superare suos inimicos, & vincitur & superatur ab eis, multoties est ei melius vinci & superari quàm esset vincere & superare, quia posset esse, quòd majus malum ei eveniret per vincere quàm ei eveniat per vinci, quoniam vincere & superare suos inimicos est homini occasio superbiæ, quæ est radix omnium malorum, & vinci & superari ab illis, est ei occasio humilitatis, quæ est radix omnium bonorum.

16. f. *Juste Domine, vere sapiens in omnibus rebus!* Multi homines reputant sibi damnum & malum, quando eis fit aliqua deceptio, & potest esse, quòd illa deceptio, sit eis magnum bonum, quia per deceptiones

mi-

minores effugit homo deceptiones maiores, cum per quasdam deceptiones se sciat defendere ab aliis, & propterea aliquando est homo iratus per hoc, quod sit deceptus, quando ex sua deceptione deberet habere gaudium & placitum.

17. Quando homo, *Domine*, injuste infamatur & inculpatur, habet iram & displicentiam & putat illam infamationem esse ad suum damnum & ad suum malum, quæ est ad suam magnam utilitatem, dummodo in ea habeat patientiam & se judicet dignum illâ malâ famâ ratione peccatorum, quæ commisit, de quibus non est infamatus nec inculpatus, eò quod ignorentur ab aliis: igitur benedictus sis, *Domine DEVS*, quia infamia injusta, quam homo sustinet, delet & punit malam famam, quam per justitiam debet habere dummodo sit patiens.

18. Multi homines, *Domine*, vellent amari ab aliqua persona, & quia non amantur ab ea, habent iram & displicentiam, & putant hoc esse ad suum damnum, & potest esse, quod sit ad suam utilitatem; quia si amaren-

tur

tur ab illa persona, fortè facerent aliquas res, quæ eis essent pejores & majoris damni, quàm sit non amari ab ipsa.

19. g. *Domine vere DEVS, qui omnibus meis diebus & noctibus me facis esse in tua contemplatione!* Multi homines habent magnam iram & displicentiam quando non honorantur illis honorationibus, quæ ad eos non pertinent; & quia non habent illas honorationes, quas volunt habere, videtur eis inhonorari & vilipendi, cùm tamen multò melius sit homini non habere honorationem, quæ ad eum non pertinet, quàm eam habere, quia omnis nimia honoratio est plus inhonoratio & vilipendium quàm honoratio & honor.

20. Multi homines, *Domine*, reputant suum damnum in hoc, quòd puniantur justè ratione suorum defectuum, cùm tamen, dum habeant patientiam, illa punitio sit eis multò melior quàm esset non puniri, quia poenæ, quæ homini inferuntur, sunt ei occasio poenitentiae & satisfactionis & remissionis suarum gravium culparum.

Gg

21. Quando

21. Quando homo, *Domine*, errat in via & putat, quòd suus error sit ad suum damnum, quandoque est ad suam utilitatem; & quandoque vadit homo ad aliquem locum, in quo putat invenire suum damnum & invenit suam utilitatem; & quandoque putat sibi obviare alium ad suum damnum, qui ei obviat ad suam utilitatem, & similiter accidit in multis aliis rebus.

22. h. *O Domine DEVS, qui me inamora-
stas de Te per hoc, quòd ames me!* Quia homo non habet sapientiam nec scientiam de omnibus rebus, habet displicentiam & tædium de aliquibus rebus, quando eas videt vel audit vel odoratur vel gustat vel palpat, quas ad suam magnam utilitatem videt vel audit vel odoratur vel gustat vel palpat; & ratio quare habet displicentiam & tædium in illis rebus sibi utilibus, est, quia suus intellectus non scit nec intelligit ultra terminos, intrà quos est finitus & terminatus.

23. Tibi, *Domine DEVS*, sit gloria & laus, quia sicut homini quandoque accidit habere displicentiam & tædium in sen-
sibus

fibus corporalibus de rebus, quas sentit ad suam utilitatem, ita ei quandoque accidit habere displicentiam & tædium in sensibus spiritualibus, quando cum eis tractat de aliquibus rebus, quæ sunt ad suam utilitatem, & ipse putat eas esse ad suum damnum.

24. Multi homines, *Domine*, putant, quòd sua mors sit ad suum magnum damnum, quæ tamen est ad suam magnam utilitatem, quia multò melius est homini mori in pœnitentia & vivere in gloria, quàm esset vivere in hoc sæculo centum mille annis inobediendo tuis mandatis, & dominando totum mundum, cùm, quò diutiùs homo vivit in peccato, eò plùs augeatur sua culpa, & quò plùs homo vivit in hoc sæculo, eò tardiùs tendat ad gloriam alterius

25. i. *O Domine DEVS, qui es complementum meorum amorum & meorum desideriorum!* Sicut Tu das hominibus bona, quæ sunt manifesta & demonstrata sensibus corporalibus & spiritualibus, ita das eis mul-

ta bona, quæ sunt occulta & velata prædictis sensibus ; & hoc est, quia multò plura & majora sunt bona, quæ Tu das hominibus, quàm possint sentire sensualitates & intelligere intellectualitates ipsorum.

26. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia sicut homini sunt certa & manifesta bona, quæ percipit & attingit cum suis sensualitatibus & intellectualitatibus, ita sunt ei occulta bona, quæ ratione suæ ignorantia & ratione multitudinis ipsorum non attingit nec percipit ; & propterea evenit, quòd multa bona sint ei data à Te ad suum bonum & ad suam meliorationem, quæ ipse putat esse ad suum damnum & ad suam deterioritatem.

27. Quia tuus servus, *Domine DEVS*, multoties affirmat & scit gratias & bona, quæ ei fecisti, & ratione sui debilis sensus & suæ ignorantia opinatur multa bona, quæ ei das, non esse bona, imò videtur ei ipsa esse mala, propterea imposterum proponit affirmare & credere, quòd, quidquid ei des, sit ad suum magnum bonum

&

& ad suam magnam meliorationem.

28. K. *Domine Completor omnium complementorum!* Tibi fiat reverentia & honor; quia sicut homo ratione suæ ignorantiaë putat aliquas res bonas esse malas, ita ratione ejusdem putat aliquas res malas esse bonas, & hoc accidit ratione bonorum & malorum, quæ sunt multò plura, quàm suus intellectus possit scire & intelligere.

29. Unde quia ignorantia hominis, *Domine*, facit eum opinari res bonas esse malas & res malas esse bonas; propterea multiplicantur in eo tot mala & tot tribulationes, quòd vix possit se vertere, nisi ad malum, quia malum est homini reputare malum id, quod est bonum, & reputare bonum id, quod est malum, cùm evitet bonum putando esse malum, & insequatur malum putando esse bonum.

30. Igitur, cùm tot sint mala in homine ratione suæ ignorantiaë, Tibi, *Domine*, qui es adeò abundans sapientiâ & scientiâ, per tuam magnam Misericordiam placeat illuminare nostrum intellectum sapientiâ &

470 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
cognitione, ut cognoscamus res bonas &
res malas, & amemus bonas & evitemus ma-
las ad gloriam & laudem & honorem Tui,
qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT CXCIX.

*QVOMODO HOMO PER QVÆ-
dam contraria percipiat & cognoscat alia.*

1. **O** DEVS Pater & Domine, qui me-
a. **O** deris & sanas nostros languores & do-
lores! Qui vult assumere artem & modum
percipiendi & cognoscendi contrarietates
sensuales & intellectuales, quadrupliciter
debet eas inquirere, scilicet incipiendo à
contrarietatibus sensualibus, & inquirendo
primò per unum contrarium sensuale aliud
contrarium sensuale, secundò inquirendo
per unum contrarium sensuale aliud contra-
rium intellectuale, tertio inquirendo per
unum contrarium intellectuale aliud intel-
lectuale, & quartò inquirendo per unum
contrarium intellectuale aliud sensuale.

2. Per istam artem & modum potest omnis homo, *Domine DEVS*, inquirere & invenire quascunque res velit sive sensuales sive intellectuales, quia per hoc, quòd unum contrarium det significationem de alio, & omnes res possit homo inquirere per sua contraria, propterea, qui vult inquirere veritatem vel falsitatem vel quascunque res velit, quatuor prædictis modis potest eas inquirere & invenire.

3. Sicut homo, *Domine*, debet facere inquisitionem quatuor modis supradictis, ita debet eam facere in quatuor causis, aspiciendo an res, quam inquiret, inveniatur in causa efficiente sive in factore, vel in forma vel in materia vel in causa finali, quia in una earum poterit eam invenire, & per unam poterit inquirere aliam, dummodo sciat per unum contrarium inquirere aliud modo supradicto.

4. b. *Adjutor Domine, Director in omnibus bonis!* Quando homo facit inquisitionem in rebus sensualibus, debet inquirere unum contrarium per aliud; quia volens inquire-

re

re magnam albedinem nullatenus potest eam melius inquirere nec invenire, quàm si eam inquirat per magnam nigredinem, & ponendo unum colorem contra alium.

5. Et quando homo, *Domine*, facit hanc inquisitionem isto modo, secundùm quod est nigredo, significat ei albedinem, & secundùm quod est albedo, significat ei nigredinem, quia, quò plùs colores sunt contrarii, eò plùs unus significatur & demonstratur per alium.

6. Unde hoc est valde mirum, *Domine*, quòd res, quæ non est in suo contrario, det significationem & demonstrationem de illo, & quò plùs est ei contraria, eò plùs illud significet & demonstret: igitur benedictus sis, *Domine DEVS*, quia sicut nigredo dat significationem de albedine, licèt una non sit in alia, ita mala & culpæ & defectus hominis dant significationem & demonstrationem de tua magna Bonitate & de tua magna Perfectione, licèt nullatenus sint in Te.

7. c. *Gloriose DEVS Pater omnium tem-*

porum!

porum ! Secundus modus est , quando homo per unum contrarium sensuale percipit aliud contrarium intellectuale, sicut quando per colorem album, quem homo sentit sensualiter visu corporali , intelligit in suo intellectu colorem album vel nigrum in generali ; & contrarietas, *Domine*, consistit in hoc, quòd color sentitus sit sensualis & specialis , & color intellectus per elevationem mentis à colore sensuali sit intellectualis & generalis, & possit imaginari in generali vel in speciali, cum sensualis non possit sentiri in generali.

8. Quia imaginatio hominis, *Domine*, potest intellectualiter imaginari colorem generalem memorando & intelligendo albedinem vel nigredinem, & visus corporalis non potest sentire colorem generalem, intellectualitas extendit suos terminos plus quàm sensualitas, cum sensualitas non possit tantum sentire quantum intellectualitas intelligere & imaginari ; & propterea sensualitas non potest tantum significare intellectualitati res contrarias sensualiter, quã-

474 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tum intellectualitas est parata ad recipien-
dum significationes illarum.

9. Igitur, cum homo, *Domine*, per res
sensuales percipiat res intellectuales, per bo-
na & mala, quæ sentimus in hoc sæculo, pos-
sumus percipere & intelligere bona & mala,
quæ sunt in alio; & sicut nostra imaginatio
potest imaginari majorem albedinem vel
nigredinem quàm visus possit videre, ita
noster intellectus potest percipere & intel-
ligere multò majora esse bona & mala alte-
rius sæculi, quàm sint bona & mala, quæ nos-
tra sensualitas sentit in hoc sæculo.

10. d. *Restaurator Domine nostrorum ma-
lorum & nostrorum languorum!* Tertius mo-
dus est quando homo per quædam contra-
ria intellectualia percipit alia, privando for-
mas à materia sensuali, veluti formam al-
bedinis vel nigredinis, quam homo intelli-
git intellectualiter sinè materia.

11. Unde benedictus sis, *Domine D E-
VS*, quia istas contrarietates intellectuales
potest anima æqualiter imaginari & intel-
ligere; quoniam tantum potest imaginativa

ima-

imaginari albedinem per nigredinem, quantum nigredinem per albedinem, & tantum potest imaginari bonum per malum, quantum malum per bonum; & propterea tantum potest homo percipere intellectualiter unum contrarium per aliud, quantum significatur per illud, quia in imaginativa æqualiter significatur unum per aliud, dum ipsa velit & sciat æqualiter recipere ipsorum significationes.

12. Igitur per istum modum potest homo, *Domine*, intellectualiter percipere & intelligere, quòd sicut imaginatio potest per imaginari magnam albedinem percipere æqualem nigredinem, ita per imaginari magnum amorem & magnam humilitatem & magnam potestatem & magnam fidelitatem possit æqualiter percipere magnum odium & magnam superbiam & magnam impotentiam & magnam proditionem; quia, quantum imaginativa potest intellectualiter figurare virtutem in homine, tantum potest figurare vitium in ipso, & hoc evenit per hoc, quòd materia intellectualis in

ima-

imaginatione formet formam intellectualem, & sit æquè parata ad recipiendum formam virtutis sicut formam vitii, & formam vitii sicut virtutis.

13. e. *O Domine DEVS, qui es totum meum solatium & tota mea consolatio!* Quartus modus est, quando homo per res contrarias, quas habet in sua intellectualitate, inquirit & percipit res contrarias in sensualitate, sicut quando homo habens in sua anima cognitionem de magna albedine memorando aliquas res valde albas, quas vidit visu corporali, videt res nigras, & percipit an nigredo earum sit magna vel non, quam perceptionem non posset habere de nigredine, nisi prius haberet cognitionem de magna albedine.

14. Unde benedictus sis, *Domine*; quia sicut per secundum modum sensualitas dat significationem de intellectualitate, ita per istum quartum intellectualitas dat significationem de sensualitate, & per istos duos modos se significant sensualitates & intellectualitates, & per primum quædam sensualitates

sualitates significant alias, & per tertium quædam intellectualitates significant alias.

15. Unde sicut in secundo modo res sensuales significant tuas qualitates, quæ sunt res intellectuales, ita, *Domine*, tuæ qualitates in hoc quarto modo significando se ipsas significant, quòd res sensuales habeant Creatorem & Dominum & Ordinatorem: igitur sicut duo specula aspiciendo se invicem monstrant unum alteri suam formam, ita sensualitates monstrando suas proprietates significant se habere Creatorem & Ordinatorem & Dominum, & tuæ qualitates monstrando suam perfectionem significant nostras sensualitates & intellectualitates habere Creatorem & Dominum & Ordinatorem.

16. *f. O Domine, qui me letificas memorando & amando Te!* Non est ulla creatura, in qua sint tot contrarietates secundum naturam, quot sunt in homine; quia per hoc, quòd ipse sit compositus ex naturis sensuali & intellectuali, sunt in eo plures res contrariæ adinvicem, quàm in ulla alia creatura.

tura.

17. Unde, cùm in homine, *Domine*, sint plures contrarietates, quàm in ulla alia creatura, & malum & bonum sint res contrariæ, per hoc significatur & demonstratur, quòd in homine plùs contrariantur bonum & malum, quàm in ulla alia creatura; & quò plùs boni est in homine, eò plùs significatur in eo malum, & quò plus mali est in ipso, eò plùs significatur in eo bonum, quia unum contrarium dat significationem de alio.

18. Unde, quia bonum & malum, *Domine*, plùs contrariantur adinvicem in homine, quàm in ulla alia creatura, propterea evenit, quòd homo quandoque fit bonus & quandoque malus, & quandoque in eo malum sensuale vincat bonum intellectuale, & quandoque bonum intellectuale vincat malum sensuale, & quandoque fit homo bonus sensualiter & intellectualiter, & quandoque malus intellectualiter & sensualiter; & quia homo est in isto statu contrarietatum, potest in se ipso faciliùs cognoscere alia con-

traria

traria per alia, quàm in ulla alia creatura.

19. g. *JESU* *Christe Domine*, qui memoria tui servi representas tuam *Passionem & tuam angustiosam Mortem* ! Quia Tu creasti hominem ut cognoscat tuam magnam Bonitatem, est in eo plus boni & mali, quàm in ulla alia creatura ; quoniam, quò plus bonitatis & malitiæ est in homine, eò melius ipse potest cognoscere & percipere tuam Bonitatem, cùm cognoscendo suam malitiam & suum defectum habeat cognitionem de bonitate & perfectione, & cognoscendo bonitatem & perfectionem habeat cognitionem de tua Bonitate & de tua Perfectione.

20. Nisi homo, *Domine*, in hoc mundo haberet malum, non sciret quid sit bonum, & nisi cognosceret bonum non haberet cognitionem de Te, qui es perfectum bonum : igitur propterea das homini bonum, per quod percipiat malum, quod est in eo accidentaliter per suam culpam & peccatum, & per illud malum culpæ evenit ei malum poenæ, per quod cognoscit bonum, quod

quod Tu ei das, & per istud percipit & cognoscit perfectum bonum sui Creatoris.

21. Quò plus boni & mali sentit homo, *Domine*, sensualiter in hoc sæculo, eò plus percipit intellectualiter bonum & malum hujus sæculi, & quò plus intelligit & cognoscit bonum & malum, quod est in hoc sæculo, eò plus sua intelligentia certificatur de magnis bonis, quæ sunt in cœlesti gloria, & de gravibus malis, quæ sunt in igne perdurabili.

22. h. *Domine vere DEVS, cui me dedi ad serviendum & honorandum & obediendum Tibi!* Per contraria sensualia, quæ sentimus, percipimus contraria intellectualia in hoc sæculo; & per contraria sensualia & intellectualia, quæ intelligimus in hoc sæculo, intellectualiter percipimus contraria, quæ sunt in alio sæculo.

23. Nam sicut per exiguum placitum, quod homo, *Domine*, habeat in hoc sæculo sensualiter vel intellectualiter, alleviatur & remittitur in eo magnus dolor vel magna ira, ita per exiguum bonum, quod homo

faciat

faciat in hoc sæculo sensualiter vel intellectualiter pro tuo amore, alleviantur ei poenæ sensuales vel intellectuales, quas est dignus sustinere ratione malorum, quæ facit in hoc sæculo sensualiter & intellectualiter.

24. Sicut in hoc sæculo, *Domine*, per parvum laborem vel tristitiam sensualem vel intellectualem perdit homo magnum placitum vel magnam lætitiã sensualiter vel intellectualiter, ita per parvum malum, quod homo faciat in hoc sæculo sensualiter vel intellectualiter, perdit in alio magnam gloriam & acquirit magnam poenam.

25. i. *Sanctificate Domine, pro quo mei oculi plorant, & meum cor est in amore & suspiriis!* Nullus homo scit quid sit paupertas & indigentia & ignominia & miseria ita bene, sicut honoratus dives, quando venit in magnam paupertatem & indigentiam & in vilipensionem & ignominiam aliorum.

26. Igitur, cum hoc ita sit, *Domine*, multi homines in hoc sæculo ad suum dam-

482 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
num laborant ut sint divites & honorati ;
quia, si veniant ad paupertatem & inho-
norationem, vel si moriantur in peccato,
multò melius eis esset non fuisse divites &
honoratos; quoniam, quò plús sunt divites
& honorati, eò plús sunt parati ad sentien-
dum passionem & pœnam per paupertatem
& inhonationem & indigentiam in hoc
sæculo & in alio.

27. Igitur beati sunt, *Domine*, paupe-
res Religiosi & alii homines, qui pro amo-
re Tui laborant in hac præfenti vita; quia,
quò majores sunt sui labores & suæ passio-
nes, & quò plús vilipenduntur & expro-
brantur & contemnuntur, eò plús crescit
suus amor, & quò major est suus amor in
Te, eò dignior est sua anima cognoscere in
alio sæculo tuam gloriam & benedictio-
nem.

27. K. *O Domine, qui languere facis me-
um corpus per excessivos labores, & torques
meam animam per excessiva desideria! Tu
scis, quòd per parvam quantitatem habeat
homo cognitionem de rebus magnis, & per*
per-

perfectionem habeat cognitionem, de defectu, & per infirmitatem habeat cognitionem de sanitate, & per vitam habeat cognitionem de morte, & sic de omnibus aliis contrariis.

29. Igitur, cum hoc ita sit, *Domine*, quoties tuus servus percipit & cognoscit suam vilitatem & suam fragilitatem & suam infirmitatem & suam culpam & suum defectum & suam mortem, toties percipit & cognoscit bonitatem & perfectionem & sanitatem & vitam, quam recipit à Te, & quoties ipse obliviscitur & ignorat sua vitia & suas culpas, toties obliviscitur & ignorat bona & virtutes, quas ei dedit suus Dominus & suus Creator.

30. Igitur, qui vult percipere, *Domine*, suos defectus, inquirat eos in bonis & virtutibus, quas Tu posuisti in homine; & qui vult cognoscere virtutes & bona, quæ Tu posuisti in homine, inquirat mala & vitia, quæ venerunt ei per culpas & peccata; quia vitia demonstrant virtutes & virtutes demonstrant vitia, & totum hoc ita fac-

tum

tum est ut homo percipiat & cognoscat magnam Bonitatem & Perfectionem, quæ est in Te, qui es noster Dominus DEUS.

CAPUT CC.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
*& cognoscat quanam sint orationes & preces,
 quæ DEO placent & quæ non placent.*

1. **D**EVS liberalis in omnibus bonis! Tibi, Domine, sit gloria & honor; quia, qui vult percipere an suæ preces & orationes Tibi placeant, poterit hoc percipere inquirendo an suæ sensualitates & intellectualitates concordent & sint ordinatæ ordinatione conveniente contemplationi & orationi.

2. Et, si homo, Domine, invenit, quòd in suis precibus & orationibus suæ sensualitates sint subditæ intellectualitatibus, potest esse securus, quòd illæ preces & orationes Tibi placeant; sed, si inveniat quòd suæ sensualitates sint super intellectualitates,

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CC. 485
tualitates, potest certificari, quòd suæ preces & orationes Tibi displiceant per hoc, quòd fiant cum inordinatis sensualitatibus & intellectualitatibus.

3. Igitur sicut statera inclinatur ad partem majoris ponderis, ita, *Domine*, orationes & preces hominis sequuntur ordinationem vel inordinationem secundum quod conveniunt & concordant sensualitates & intellectualitates in ordinatione, in qua Tu eas direxisti & ordinasti, vel in inordinatione & corruptione, in qua homo eas deviat & inordinat per culpam & per opera peccati.

4. b. *Honorate Domine, amate Domine, qui es perfectio omnium virtutum!* Qui vult, quòd suæ orationes & petitiones sint Tibi placentes, sequatur naturam animæ, & contradicat & resistat naturæ corporis; quia, per hoc, quòd anima sit in natura similis tuæ Deitati in hoc, quòd sit res spiritualis intellectualis sicut tua Deitas, & corpus sit res composita corporaliter ex materia & forma, melius accedit homo ad placendum Tibi,

Tibi, quãdo sequitur naturam animæ, quã
quando sequitur naturam corporis.

5. Unde quando homo, *Domine*, Te orat amando & memorando & volendo & cognoscendo & laudando & desiderando & obediendo, tunc sua anima recipit à Te perfectionem tuæ gratiæ & benedictionis, & ratione hujus receptionis Tibi placent suæ orationes & petitiones.

6. Quando homo, *Domine*, Te precatur & à Te petit intuitu corporis, quod vult possidere delectationes temporales, tunc anima impeditur & inordinatur in oratione per memoriam & imaginationem & voluntatem & desiderium delectationum corporis, & ratione hujus impedimenti & inordinationis non potest à Te recipere gratiam in sua oratione; &, quia ipsa non recipit à Te gratiam per hoc, quòd Te precetur inordinatè, sua oratio non potest placere Tibi, qui es ordinatio omnium creaturarum.

7. c. *O Domine DEVS, in quo confidimus, & ad quem clamamus!* Quando anima est

est domina corporis ita quòd corpus non faciat ei ullam resistantiam, tunc sua oratio est Tibi placens & acceptabilis; quia, quò plus anima est domina corporis, eò plus est parata ad contemplandum in Te & ad laudandum & benedicendum Te; &, quò plus ipsa est parata ad contemplandum & laudandum & benedicendum Te, eò plus est directa ut sua oratio sit Tibi placens.

8. Quando anima hominis, *Domine*, est ita unita Tecum memorando, intelligendo & amando Te, quòd oculi plorent & os Te laudet & aures non occupentur audiendo aliquam rem, nec nares occupentur per ullos odores, nec gustus per famem nec sitim, nec tactus per calorem vel frigus nec per ictus, tunc potest homo esse securus & certus, quòd sua oratio sit Tibi valde placens.

9. Quando omnes quinque sensus sensuales, *Domine*, cessant ab operando secundum suam naturam & obediunt naturæ animæ, & anima habet Te in omnibus suis quinque sensibus spiritualibus ita quòd nul-

la

la alia res præter Te sit in eis, tunc ipsa est tota plena cogitatione & imaginatione Tui, & propterea tota sua contemplatio est Tibi placens & acceptabilis.

10. d. *Domine DEVS, pro quo beati Religiosi in hoc mundo se captivant & incarcerant!* Quando memoria hominis impletur memoratione Tui & nullam aliam rem memorat nisi Te, tunc anima ipsius est disposita ad contemplandum in Te, quæ dispositio est Tibi valde placens & acceptabilis.

11. Quando anima hominis, *Domine*, habet totum suum intellectum & totam suam voluntatem in Te & nullam aliam rem habet in eis nisi Te, tunc quidquid intellectus intelligit & voluntas petit & vult, est Tibi placens.

12. Igitur, cum hoc ita sit, *Domine*, quicumque velit percipere an sua oratio vel petitio sit Tibi placens & acceptabilis, inquiret in sua anima an memoria & intellectus & voluntas sint in Te & in nulla alia re præter Te; & si ita sit, quòd inveniat memoriam & intellectum & voluntatem esse

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CC. 489
in aliis rebus extra Te, poterit percipere,
quòd sua oratio vel petitio non sit Tibi pla-
cens nec acceptabilis.

13. e. *Æterne Domine, qui in Persona Fi-
lii conjunxisti naturam humanam cum divi-
na!* Qui vult exaudiri & habere perfectio-
nem in sua petitione, habeat Te in suo cor-
de, & nihil amet nisi Te; quia, si hoc fa-
ciat, non quæret nec petet in sua oratione
nisi posse Te laudare & honorare & Tibi
servire & benedicere omnibus suis diebus
& ex omnibus viribus; &, dum nihil aliud
petat, potest esse securus, quòd sua oratio
exaudietur & acceptabitur à Te & in Te &
propter Te.

14. Quando homo, *Domine*, laudat
tuam Magnitudinem & tuam Bonitatem
& alias tuas Virtutes, & confitetur & fate-
tur suas vilitates & vitia & defectus, tunc
Te orat & precatur & à Te petit, & tunc
suæ orationes & petitiones sunt Tibi valde
placentes & acceptabiles; quia valde Tibi
placet, quòd homo Te laudet, & reprehen-
dat & accuset suos defectus & suas fragili-
tates.

tates.

15. Qui vult elevare suam orationem ad Te, *Domine*, & vult facere eam Tibi placentem & acceptabilem, conetur quantum potest precari Te pro omnibus hominibus five bonis five malis, & amet in generali omne bonum ita pro aliis sicut pro se; & si hoc modo Te oret & à Te petat, sua oratio & sua petitio erit Tibi valde placens & valde grata.

16. f. *Adjutor Domine, invocate ab omnibus populis!* Quando homo à Te petit illa dona, quæ ad Te pertinet dare & ad hominem petere, tunc formatur & sanctificatur & dirigitur oratio & petitio ipsius; sed, quando homo à Te petit dona, quæ ad Te non pertinet nec convenit concedere & dare nec ad hominem possidere & recipere nec petere, tunc sua oratio & petitio est Tibi valde displicens & ingrata.

17. Quando homo, *Domine*, vult elevare & exaltare suam orationem ad Te, oportet, quòd in ipsa sit totaliter humilis; quia, quò plus homo se humiliat orando &

precando Te, eò plús ascendit sua oratio ;
& quò plús ipse superbit , eò plús ipsa vi-
lificatur & deprimitur.

18. Quando homo , *Domine* , Te orat
& precatur , oportet eum pœnitere suorum
peccatorum & habere veram contritionem
cordis & veram conscientiam , quia omnem
orationem , in qua non sint istæ res , oportet
esse Tibi displicentem & inacceptabilem ; &
omnem orationem , in qua ipsæ sint , oportet
esse Tibi amabilem & acceptabilem.

19. g. *Domine DEVS* , in quo vivifi-
cantur mei amores & mea placita & meæ
considerationes ! Nulla res est adeò bona &
virtuosa in oratione sicut devotio , quia
multò melior oratio est precari & orare de-
votè , licèt verba non sint pulchra nec ordi-
nata , quàm precari & orare sinè devotio-
ne cum pulchris verbis & pulchrè ordina-
tis , cùm oratio , quæ fit solâ linguâ nihil va-
leat respectu orationis , quæ fit corde & lin-
guâ.

20. Adeò bona res est devotio in ora-
tione , *Domine* , quòd multò plús Tibi pla-

ceat

ceat oratio rudium virorum vel mulierum Te precantium & loquentium ruditer magnâ devotione, quàm oratio magnorum Literatorum & Doctorum & magnorum Prælatorum Te orantium & precantium pulchris & sapientibus verbis finè devotione, & habendo cor & imaginationem in aliis rebus contrariis illis, quas sua verba significant.

21. Quando homo, *Domine*, multum confidit in Te & totaliter ponit se in tua custodia & in tuo adjutorio, tunc exaltat & excellere facit suam orationem & petitionem; quia nulla res plus fortificat orationem, quàm confidentia & spes in tua Bonitate & diffidentia in omnibus rebus.

22. h. *O Domine sapiens! O Domine honorate super omnes honorationes!* Qui vult, quòd sua oratio exaudiatur, necessarium est ei facere se servum & subditum veritatis & ædificare suam orationem super veritatem, quia nulla oratio nec ulla petitio, quæ Tibi fiat fictè & falsò & contra veritatem, est digna Tibi placere & à Te exaudiri.

diri.

23. Quando homo, *Domine*, est amator justitiæ & misericordiæ, suæ orationes & petitiones sunt Tibi placentes & acceptabiles; sed, quando ipse est injuriosus & crudelis corde, & non habet pietatem & misericordiam illorum, qui indigent misericordiâ, suæ orationes & preces non sunt Tibi placentes nec acceptabiles.

24. Sicut duo specula sibi invicem demonstrant suam formam, ita, *Domine*, quando homo contemplatur in Te petendo à Te justitiam vel misericordiam vel largitatem vel humilitatem vel remissionem vel amorem vel sapientiam vel aliquam aliam qualitatem, oportet, quòd se formet & se dirigat taliter, quòd habeat in se qualitatem vel qualitates, quas contemplando petit à Te; &, si ita sit, quòd ipse petat à Te justitiam vel misericordiam vel aliquam aliam qualitatem & sit justus vel misericors vel habeat illam qualitatem, quam à Te petit, potest esse certus & securus, quòd sua oratio & petitio sit Tibi valde placens & acceptabilis.

494 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ceptabilis.

25. i. *Misericors Domine!* Quando homo Tibi gratias agit pro bonis, quæ à Te recepit & quæ recipit, & proponit agere Tibi gratias pro bonis futuris, tunc se disponit & dirigit ut sua oratio & petitio sit Tibi placens & acceptabilis.

26. Adeò justus & verus & amator omnium bonorum es Tu, *Domine*, quòd multa meliora sint mala & afflictiones & labores, quos Tu das homini in hoc mundo justè & verè, quàm sint placita & delectationes & prosperitates, quas hic mundus falsò & injuriosè dat ipsi; & propterea, qui vult, quòd suæ orationes & preces exaudiantur à Te, agat Tibi gratias pro omnibus suis tribulationibus & poenis & malis, quæ sustinet in hoc mundo ad demonstrationem & cognitionem tuæ magnæ Justitiæ.

27. Quando homo, *Domine*, est fidelis & continens & liberalis & plenus omnibus bonis moribus, tunc est dispositus ad laudandum & amandum & honorandum Te

&

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CC. 495.
& ad serviendum Tibi; & quò plus est ad hoc dispositus, eò plus est dispositus ad recipiendum gratiam & benedictionem à Te, quando Te precatur & orat & ad Te clamat & à Te petit.

28. K. *Honorate Domine, amate, á quo omnes recipimus gratiam & benedictionem!*
Quando homo se facit servum & subditum obedientiæ ad obediendum tuis mandatis, & est valde diligens in serviendo Tibi, & omnes suas vires impendit in tuo honore & in tua laude, quidquid velit & precetur & petat à tua Potestate & à tua Sapientia & Voluntate, conceditur & datur ei.

29. Quando homo, *Domine*, petit à tua Potestate & Sapientia & Voluntate res sibi necessarias, est conveniens tuæ Potestati & Sapientiæ & Voluntati illas res ei concedere; sed quando ipse petit res non necessarias, non petit eas à tua Potestate nec à tua Sapientia nec à tua Voluntate; quia non est de natura & proprietate earum dare homini ullam rem sibi non necessariam, & propterea homines divites, qui petunt res
sibi

sibi non necessarias, petunt res Tibi displicentes & non acceptabiles.

30. Multi homines, *Domine*, singulis diebus Te precantur & à Te petunt ut eis des gloriam paradisi, & in suo corde sunt amatores delectationum hujus mundi plús, quàm gloriæ, quam petunt; & quia plús amant bona hujus mundi quàm alterius, non sunt digni recipere bona cœlestia in præsentia tuæ Gloriæ divinæ.

CAPUT CCI.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat, quinam sit sapiens & quinam nescius.

I. **O** *DEVS* gloriose, qui mandatis sensualibus me direxisti ad mandata intellectualia! Sicut homo est duæ naturæ, scilicet natura sensualis & natura intellectualis, ita, *Domine*, homo est sapiens vel nescius sensualiter vel intellectualiter vel utroque modo, occasione sensuali vel occasione

fione intellectuali vel ambabus simul.

2. Qui vult percipere & cognoscere hominem sapientem, inquirat eum, *Domine*, in sensualitate & intellectualitate, & sciat quamnam sapientiam velit inquirere, scilicet an sapientiam sensualem an intellectualem an verò ambas simul; quia quidam homines sunt sapientes unâ sapientiâ prædictarum, & quidam aliâ, & quidam ambabus.

3. Qui vult percipere & cognoscere an aliquis homo sit stultus & nescius, *Domine*, aspiciat an ipse faciat differentiam inter unam sensualitatem & aliam, & inter sensualitatem & intellectualitatem, & inter unam intellectualitatem & aliam; quia homines nescii non faciunt differentiam inter sensualitatem & intellectualitatem, nec inter sensualitates diversas in natura & proprietatibus, nec inter intellectualitates diversas & contrarias & habentes diversitatem qualitatum & proprietatum.

4. b. *Potens Domine super omnes vires, magne super omnes magnitudines!* Qui vult

cognoscere quinam sint homines sapientes & quinam nescii, aspiciat cuinam duarum naturarum sint subditi; quia homines subditi naturæ intellectuali sunt sapientes, eò quòd subjectum sapientiæ sit ipsa natura intellectualis, & homines subditi naturæ sensuali sunt nescii, eò quòd natura sensualis non sit adeò propinqua sapientiæ in natura sicut natura intellectualis.

5. Igitur, cùm hoc ita sit, *Domine*, quando homo est plùs obediens naturæ sensuali quàm intellectuali, se elongat à sapientia & accedit ad stultitiam & ignorantiam, eò quòd se elonget à terminis sapientiæ & accedat ad terminos stultitiæ; & quando homo est plùs obediens naturæ intellectuali quàm sensuali, se elongat à stultitia & accedit ad sapientiam eò quòd se elonget à terminis stultitiæ & accedat ad terminos sapientiæ.

6. Quia sapientia intellectualis est intrà intellectum & sapientia sensualis est extra ipsum, *Domine*, quando homo est sapiens sapientiâ intellectuali, habet majorem

rem

rem sapientiam quàm quando est sapiens sapientiâ sensuali, & quando homo est stultus & nescius stultitiâ intellectuali, habet majorem stultitiam & nescientiam quàm quando est stultus & nescius stultitiâ sensuali: igitur, qui aspicit omnes istas res, potest certò scire quinam homines sint sapientes & quinam nescii.

7. c. *O Domine DEVS, á quo recipimus vitam & gratiam & benedictionem!* Qui est inquisitor hominum sapientum vel stultorum, inquirat an sapientia vel stultitia sit in eis per naturam, an verò per aliquod accidens, quia quidam homines habent sapientiam vel stultitiam per naturam, & quidam per accidens.

8. Homines sapientes per naturam, *Domine*, sunt illi, qui habent naturam sensualem ordinatam & dispositam ut anima habeat in corpore suas virtutes in actu, & quò plus corpus est dispositum instrumentum, eò sapientiores sunt per naturam; sed, quando corpus non est instrumentum dispositum ut anima habeat in eo suas virtu-

tes

500 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tes in actu, & homines subjiciunt animam
& corpus doctrinae & sapientiae in rebus,
quas volunt scire, tunc sunt sapientes per
accidens.

9. Homines nescii per naturam, *Domine*, sunt illi, qui non habent suum corpus dispositum & directum ut anima habeat in eo suas virtutes in actu, & homines nescii per accidens sunt, qui habent corpus dispositum ad scientiam & sapientiam secundum dispositionem naturalem; &, quia anima non vult habere suas virtutes in illa actualitate, ad quam corpus ei consentiret, sunt nescii: igitur aspiciendo & inquirendo an homines habeant sapientiam vel ignorantiam per accidens vel per naturam, potest quis cognoscere an sint sapientes vel nescii, eò quòd natura & accidens dant significationem de sapientia & ignorantia differenter.

10. d. *Excellent Domine super omnes altitudines, honorate super omnes honorationes!*
Homo sapiens est ille, qui figurat alias res per alias & qui inquit alias res cum aliis

&

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CCI. 501
& qui facit diversas & concordantes operationes, & homo sapiens est, qui habet cognitionem de rebus contrariis & de rebus habentibus diversas proprietates, & etiam, qui scit percipere in qualitatibus, quænam sint veræ significationes, & quænam falsæ.

11. Homo nescius est, *Domine*, qui res diversas in natura & proprietatibus recipit æqualiter & concordanter quin sciat facere differentiam inter ipsas, nec sciat quænam sint adinvicem contrariæ; & homo nescius est, qui non scit recipere significationes veras nec falsas, nec sibi cavet à receptione fraudum, quas quædam qualitates faciunt contra alias repræsentando imaginativæ falsas demonstrationes, ratione quarum homo nescius facit falsas affirmationes.

12. Qui vult percipere, *Domine*, quinam sit homo sapiens vel homo nescius, aspiciat quinam faciat differentiam inter res simplices & res compositas; quia sapientes sciunt dividere & conjungere substantiam in suas partes & partes in suam substantiam, & nescii non sciunt cognoscere nec percipere

pere quomodo una res sit conjuncta ex diversis rebus, nec quomodo diversæ res sint conjunctæ in una substantia composita vel simplici.

13. e. *Sapiens Domine super omnes sapientias, gratiose super omnes gratias!* In operibus cognoscuntur homines, quia homo sapiens semper facit & tractat opera bona & fructuosa, & homo nescius & stultus semper facit & tractat res viles & exigui fructus & valoris; & propterea, qui vult cognoscere hominem sapientem & hominem nescium, sciat cognoscere opera ipsorum, quia quilibet significatur & demonstratur per sua opera.

14. Qui vult cognoscere, *Domine*, hominem sapientem & hominem nescium, aspiciat cujus opera incedant per occasionem vel per casualitatem, quia homines sapientes semper operantur occasionatè, sed nescii operantur plus casualiter quàm occasionatè, & sapientes petunt id, quod non sciunt, & non affirmant ea, quæ nesciunt, sed nescii faciunt oppositum.

15. Quò plús homo sapiens, *Domine*, auget & multiplicat in se sapientiam, eò plús auget & multiplicat in se humilitatem & urbanitatem, sed homo nescius, quò plús auget & multiplicat in se aliquam notitiam vel scientiam, eò plús auget & multiplicat superbiam & inurbanitatem; & homo sapiens plús scit sua facta quàm aliena, sed homo stultus & nescius plús curat scire facta aliena quàm sua: igitur aspiciendo omnes istas res possumus habere cognitionem de homine sapiente & de homine nescio.

16. f. *Rex virtuose, magne in omnibus magnitudinibus, virtuose in omnibus virtutibus!* Quidam homines sunt sapientes in quibusdam sensualitatibus & non in aliis, & quidam sunt nescii in quibusdam sensualitatibus & sapientes in aliis; & hoc idem est, *Domine*, de sapientia intellectuali, quia quidam homines sunt sapientes in aliquibus intellectualitatibus & sunt nescii & ignorantes in aliis, in quibus alii sunt sapientes & intelligentes.

17. Igitur, cùm hoc ita sit, *Domine*,
prop-

propterea evenit, quòd omnis homo fit sapiens in aliquibus rebus & nescius in aliis, quia tot sunt res sensuales & intellectuales, quòd omnes non possint sciri nec ignorari ab homine; sed illos homines, qui sciunt plus & ignorant minus, & illos, qui plus utilitatis extrahunt de rebus, quas sciunt, & minus detrimenti habent de rebus, quas ignorant, oportet reputari sapientes, & illos, qui faciunt oppositum, oportet reputari nescios.

18. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia per hoc, quòd quidam homines habeant unam sapientiam & alii aliam, & quidam habeant unam ignorantiam & alii aliam, eveniunt contrarietates & malevolentiae inter homines; & quia per istum modum habent homines occasionem impugnandi & reprehendendi se invicem, potest per eundem modum cognosci quinam sint sapientes & quinam nescii, quoniam qui minus putant scire & minus sunt reprehensores, sunt sapientes, & qui plus putant scire & plus sibi complacent in reprehendendo

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CCI. 505
dendo alios, sunt nescii.

19. g. *O Domine DEVS, in quo est tota nostra vita & tota nostra spes! Qui vult invenire & percipere an aliquis homo sit sapiens vel an sit stultus, oportet, quòd sciat habere modum tentandi & probandi eum sensualiter & intellectualiter per sensus corporales & per spirituales.*

20. Non est ullus homo sapiens vel stultus, *Domine*, qui non sit sapiens vel stultus sensualiter vel intellectualiter: igitur, quando homo tentatur in sensualitate vel in intellectualitate, tunc sua sensualitas vel intellectualitas dat significationem & demonstrationem de sapientia vel de stultitia, & maximè si tentetur simulatè quin possit percipere tentationem.

21. Si ita sit, *Domine*, quòd aliquis tentet & probet alium sensualiter vel intellectualiter simpliciter, & non possit invenire id, quod inquit, oportet, quòd componat tentationem inter sensualitatem & sensualitatem, & inter sensualitatem & intellectualitatem, & inter intellectualitatem

&

& intellectualitatem, & tunc necessario oportebit eum invenire & percipere id, quod inquirit, dummodo sciat suam inquisitionem dirigere modo predicto.

22. h. *Misericors Domine in omni tempore, potens, pie & gratiose!* Homo sapiens, quando non potest sensualiter cognoscere rem, quam inquirit, aspicit intellectualiter quomodo sua potentialitas possit devenire in actualitatem; sed homo stultus & nescius, quando non potest cognoscere sensualiter, non inquirit intellectualiter cognitionem in potentialitate, in qua est possibilis actualitas.

23. Homo sapiens, *Domine*, quando ei deficient sua sensualitas & sua intellectualitas ad cognoscendum & sciendum veritatem alicujus rei, petit consilium & auxilium à sapientibus, ut eum juvent ad invenendum & intelligendum & sciendam illam; sed homo nescius facit oppositum, quia non petit consilium & auxilium, & si illud petit, petit illud ab aliis nesciis, & quando non potest scire per se ipsum nec

per

per alios nescios, discredit id, quod est verum, & credit id, quod est falsum.

24. Quando homo sapiens, *Domine*, dubitat in sua lege de aliqua re, quam suus intellectus non potest comprehendere secundum modum rationis, petit illam rem ab aliis; & si non invenit, qui eum certificet, non propterea discredit, imò attribuit suum defectum suo intellectui, & credit id, quod suus intellectus non potest intelligere; sed homo nescius facit oppositum, quia, quando suus intellectus non intelligit id, de quo dubitat, statim discredit & non vult credere veritatem, quam suus intellectus non scit intelligere; & homo sapiens, *Domine*, non submittit suam libertatem malo domino, sed homo nescius facit oppositum.

25. i. *Excellentis Domine super omnes altitudines, nobilis super omnes honorationes!* Homo sapiens attendit ad principium & ad medium & ad finem, sed homo nescius facit oppositum, quia ad nullum eorum attendit; & homo sapiens semper sequitur
vias,

508 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
vias, per quas possit venire ad perfectionem
& se elongare à defectu, sed homo nescius
facit oppositum; & homo sapiens semper
conatur bene impendere suum tempus, &
semper amat esse in loco convenienti, sed
homo stultus facit oppositum.

26. Homo sapiens, *Domine*, quando
non potest habere totum id, quod vult, sal-
tem accipit partem prius quàm perdat to-
tum, sed homo nescius perdit totum, quia
non vult accipere partem; & homo sapi-
ens eligit majora bona & coactè accipit &
eligit minora mala, sed nescius facit oppo-
situm; & homo sapiens est amator & in-
quisitor pacis, sed nescius est inquisitor bel-
li & laboris & mali.

27. Sicut homo sapiens, *Domine*, extra-
hit bonum de malo, ita nescius extrahit de
bono malum; &, sicut homo sapiens colligit
& congregat bona temporalia ut ei ferviant,
ita nescius consumit & dissipat & malè ex-
pendit id, quo indiget; &, sicut homo sapiens
utitur rebus utilibus, ita nescius utitur rebus
parvæ utilitatis; &, sicut homo sapiens ornat
suam

suam animam bonis considerationibus & bonis cogitationibus & bonis imaginationibus, ita nescius suum corpus & suam animam implet rebus vitiosis & rebus sensualibus, per quas est immundus & corruptus sensualiter & intellectualiter.

28. K. *O Domine, á quo speramus gratiam & benedictionem!* Homo sapiens est obediens suo bono amico & est inobediens suo inimico, sed homo nescius est obediens suo inimico & inobediens suo amico; & homo sapiens plús timet mortem animæ quàm corporis, sed nescius plús timet mortem corporis quàm animæ; & homo sapiens habet totam suam confidentiam in Te, sed nescius confidit in aliis rebus plús, quàm in Te; & homo sapiens sequitur possibilia, sed nescius sequitur impossibilia.

29. Homo sapiens verecundatur, *Domine*, quando deficit & errat, & nescius verecundatur quando facit aliquid boni; & propterea sapiens plorat quando peccavit, & nescius ridet: unde benedictus sis, *Domine*, quia homo sapiens cognoscit quinam sit

510 *B. Raym. Lullî Lib. Contempl.*
fit sapiens & quinam nescius, sed nescius
non cognoscit quinam fit nescius nec qui-
nam sapiens.

30. Igitur Tibi, *Domine DEVS*, de-
tur gloria & laus semper, quia omnibus
modis prædictis & pluribus aliis cognosci-
tur quinam homo sit sapiens & quinam nes-
cius; &, quia tuus subditus est imbutus &
comprehensus ignorantia & stultitia, ut
cognoscat suam stultitiam, indiget, quòd ei
des sapientiam, per quam possit cognoscere
& percipere suos defectus & magnam sapi-
entiam & excellentem nobilitatem sui Do-
mini DEI.

CAPUT CCII.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat quinam sit amator & quinam
disamator.

1. **D**EVS *juste, virtuose, cui detur & cog-*
a. **D** noscatur *omnis gloria & omnis laus*
& *omnis honoratio!* Qui vult inquirere &

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CCII. 511
invenire quinam sit amator vel disamator,
oportet, quòd inquireat tres res, scilicet pro-
prietates & qualitates & significationes, &
oportet, quòd inquireat istas tres res cum
aliis tribus, scilicet cum memoria, intellec-
tu & voluntate; & quando homo, *Domine*,
ordinaverit inquirere memorando, intelli-
gendo & volendo proprietates & qualitates
& significationes, oportet, quòd inquireat in
octodecim rebus contrariis vel diversis qui-
nam sit amator vel disamator.

2. Octodecim res, in quibus homo, *Do-
mine*, inquirat proprietates & qualitates &
significationes, incedunt binæ & binæ, &
sunt sequentes: actio & passio, perfectio &
defectus, actualitas & potentialitas, essen-
tialitas & accidentalitas, concordantia &
contrarietas, occasio & casualitas, sensualita-
tas & intellectualitas, prima intentio & se-
cunda, primus motus & secundus.

3. Omnis homo, *Domine*, qui habeat
cognitionem de proprietate & qualitate &
significatione, dummodo sciat in his novem
binariis memorare & intelligere & velle

proprietates & qualitates & significationes quarumlibet octodecim predictarum rerum, potest artificialiter percipere & cognoscere quinam sit amator vel disamator; quia quaelibet earum dabit ei significationem secundum suas proprietates & significationes, dummodo ipse memorando, intelligendo & volendo sciat facere suam inquisitionem.

4. b. *O Domine DEVS, qui scis & potes & vis omnia bona!* Quando mea anima contemplatur in Te memorando & intelligendo & amando tuas proprietates & qualitates, significatur ei per ipsas, quod Tu ames nos, & quod in Te non sit ulla proprietas, nec qualitas, ratione cuius sis nobis inimicus & malevolus.

5. Quando mea anima, *Domine*, memorat & intelligit proprietates & qualitates, quæ accidentaliter ceciderunt in hominem per opus peccati, per ipsas significatur ei, quod nos Te disamemus & simus Tibi inimici ex parte nostri defectus, in quem devenimus per corruptionem nostræ naturæ corruptæ per peccatum.

6. Unde, quando homo, *Domine*, aspiciat actionem & passionem & aspiciat proprietates & qualitates rerum, quæ sunt in actione & passione, tunc significatur amor vel disamor; & per hoc percipimus amorem, quo Tu amas nos, provenire à tuismet proprietatibus & qualitatibus, & amorem, quo homines amant Te, etiam provenire à tuis proprietatibus & qualitatibus, quæ significant, quòd Tu facias nos amare Te & servire Tibi, & disamorem, quem habemus erga Te, provenire à nostris proprietatibus & qualitatibus, quæ per suammet corruptionem devenerunt in disamorem sui Domini & sui DEI per hoc, quòd plus quàm ipsum ament res mundanas corruptas & transitorias.

7. c. *Creator Domine, Benefactor, Salvator, Amator!* Quando homo cum tota sua anima inquirat proprietates perfectionis & defectus, significatur suo intellectui, quòd amor & amicitia sint de natura perfectionis, & inimicitia & malevolentia sint de natura defectus, quia perfectio significat amo-

K K

rem

rem & non privationem amoris, & defectus significat disamore & privationem amoris.

8. Unde benedictus sis, *Domine DEVVS*, quia tua Perfectio significat, quòd Tu amas nos per hoc, quòd sis perfectus, & perfectio hominum justorum significat, quòd ipsi sint amatores tuæ Perfectionis & omnis perfectionis provenientis à tua; & defectus hominum peccatorum significat, quòd in eis sit privatio amoris, & quòd ipsi fiat malevoli & inimici illarum rerum, quas Tu amas, & illarum rerum, in quibus Te amant homines sanctæ vitæ.

9. Igitur, cùm hoc ita sit, *Domine*, qui vult percipere & scire quinam sint homines amatores vel disamatores, inquirendo proprietates perfectionis & defectus potest hoc percipere & cognoscere; quia homines sequentes perfectionem significantur esse amatores per hoc, quòd perfectionem non possint sequi sinè amore, cùm sit natura perfectionis, quòd nemo possit ad eam venire sinè amore; & similiter est de defectu,
quia

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CCII. 515
quia homines sequentes defectum signifi-
cantur esse inimici perfectionis per hoc,
quòd careant perfecto amore, quæ caren-
tia est minera & fons inimicitia & male-
volentia.

10. d. *Rex vere, juste, qui Sanctos para-
dise coronas gloriâ* ! Quando homo, *Domine*,
volendo memorat & intelligit proprietates
potentialitatis & actualitatis, potest perci-
pere quinam homines sint amatores & qui-
nam non, quia amatores utuntur rebus, per
quas amor venit de potentialitate ad actua-
litate, & non amatores utuntur rebus, per
quas amor privatur suâ actualitate, & rever-
titur ad potentialitatem.

11. Unde benedictus sis, *Domine*, quia
homines habentes amorem in actualitate ne
revertatur ad potentialitatem, significantur
esse amatores ; & adducentes ad actualita-
tatem inimicitiam, quæ est in potentialita-
te, significantur esse difamatores.

12. Igitur aspiciendo omnes istas res
potest homo, *Domine*, percipere & cognos-
cere in potentialitate & actualitate quinam
homo

homo sit amator & quinam difamator; quia, sicut voluntas argentarii privat argentum unâ formâ, ut faciat in eo aliam, ita amor vel difamor privat res, quæ sunt in actualitate ut ducat ad actualitatem res, quæ sunt in potentialitate, & ut teneat & conseruet eas in sua actualitate.

13. e. *Gloriose Domine, à quo descendunt & veniunt omnes nostri amores & omnia nostra placita!* Quando homo inquit amorem vel inimicitiam in aliquo homine, oportet, quòd inquirat in proprietatibus & qualitatibus quænam sint significationes amoris vel inimicitiae accidentaliter vel naturaliter; quia quædam proprietates & qualitates significant amorem vel inimicitiam naturaliter, & quædam accidentaliter.

14. Amicitia vel inimicitia, quæ est naturaliter, *Domine*, est, quando homines concordant vel discordant per naturam suarum complexionum, sicut homo cholericus, qui per naturam debet amare alium cholericum & disamare phlegmaticum; & amicitia vel inimicitia, quæ est accidentaliter, est

est, quando homo cholericus amat phlegmaticum per hoc, quòd sua anima conveniat & concordet cum anima illius in memorando & intelligendo & volendo aliquam rem, vel disamat alium cholericum per hoc, quòd sua anima discordet cum anima illius in rebus, quas memorant intelligunt & volunt.

15. Et quando homo, *Domine*, cognoscat an amicitia vel inimicitia sit naturaliter vel accidentaliter, potest melius cognoscere magnitudinem & quantitatem ipsius, & per hanc cognitionem potest sumere artem & modum mortificandi vel multiplicandi eam.

16. f. *Immortalis Domine, incommutabilis, inestimabilis* ! Qui vult inquirere & invenire quinam sit amator vel disamator, oportet, quòd inquireat quænam res sint concordantes & quænam discordantes vel contrariæ, & hoc est inquirendum cum significationibus & demonstrationibus, quas dant de se ipsis proprietates & qualitates significantes & demonstrantes amicitiam vel inimicitiam.

micitiam.

17. Quando homo, *Domine*, concordat in natura & in specie cum alio homine, significatur amor inter unum & alium ratione naturæ & speciei, in qua concordant; & quando vir & mulier, secundum suam dispositionem & occasionem, in qua sunt, requirunt accessum naturalem, etiam significatur inter eos amor; sed quando homines sunt contrarii in lege & fide vel credentia, significatur inter eos inimicitia & malevolentia ratione animarum, quæ non concordant imò contrariantur adinvicem.

18. Quando sensualitates, *Domine*, concordant aliæ cum aliis, & quando concordant & conveniunt cum intellectualitatibus, & quando intellectualitates concordant aliæ cum aliis, significatur amor; sed, quando sensualitates contrariantur inter se vel contrariantur intellectualitatibus vel intellectualitates contrariantur inter se, significatur & demonstratur inimicitia.

19. g. *O Domine DEVS, qui es vera pax & vera consolatio nostra! Qui est inquisi-*

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CCII. 5 19
tor amicitiae vel inimicitiae, oportet, quòd
eam inquirat in quatuor causis & in casua-
litate, quæ est extra ipsas; quia, si amici-
tia vel inimicitia incedit per quatuor cau-
sas, poterit videre & scire, quid factor fa-
ciat in materia & in forma, ut perveniat
ad causam finalem.

20. Quando amicitia vel inimicitia in-
cedit casualiter finè ulla causa, *Domine*,
factor non facit in materia nec in forma
aliquid cum intentione amicitiae vel inimi-
citiae; &, quando casualiter facit aliquam
rem in materia vel in forma sine intentio-
ne amicitiae vel inimicitiae, & ratione illius
rei amatur vel difamatur, tunc est amici-
tia vel inimicitia casualiter; &, sicut ipsa
casualiter est in *esse*, ita casualiter potest
devenire in non *esse* vel in privationem.

21. Unde, quando homo, *Domine*, scit
cognoscere res, quæ incedunt per causas, &
quæ incedunt per casualitatem, potest per-
cipere & cognoscere quinam sit amator
vel difamator; & ista cognitio evenit ho-
mini ratione quatuor causarum & ratione

ca-

casualitatis, quæ significant suas proprietates & qualitates, & per demonstrationem, quam dant de se ipsis, significant quinam sit amator & quinam difamator.

22. h. *Rex pie misericors, potens Domine omnium marium & terrarum!* Qui vult inquirere amicitiam vel inimicitiam sensualis, oportet, quòd eam inquireat in proprietatibus & qualitatibus sensualitatum, quia ipsæ eam significant; & qui vult inquirere amicitiam vel inimicitiam intellectualem, oportet, quòd eam inquireat in proprietatibus & qualitatibus intellectualitatum, quia ipsæ eam demonstrant oculis intellectualibus.

23. Qui amicitiam vel inimicitiam inquit, *Domine*, attendat ad sensus corporales; quia secundum quod homo amat aliquam rem vel secundum quod eam odit, utitur ipsâ videndo vel audiendo vel odorando vel gustando vel tangendo; quoniam rem amatam videt & audit & odoratur & gustat & palpat frequentius & libentius, quàm rem non amatam.

24. In quinque sensibus spiritualibus debet homo, *Domine*, inquirere amicitiam vel inimicitiam; quia res amatae frequentius sunt in cogitatione & perceptione & in memoria & voluntate, quàm res disamatae, cum natura amoris sit contemplari in re amata, & natura disamoris sit oblivisci & contemnere rem disamatam.

25. i. *Domine metuende, Domine amande, Domine desiderande!* Qui vult percipere quinam homo sit amicus & quinam inimicus, oportet, quòd hoc inquiret in prima & secunda intentione; quia, quando istae intentiones sunt ordinatae in homine, significatur in eo amor & amicitia; sed, quando ipsae sunt inordinatae ita, quòd prima faciat id quod deberet facere secunda, & secunda id quod deberet facere prima, significatur disamor & inimicitia.

26. Quando prima intentio, *Domine*, incedit secundum dispositionem suae proprietatis & naturae, demonstrat suam proprietatem & qualitatem; & quando secunda intentio incedit secundum dispositionem

nem

nem suæ proprietatis & naturæ, demonstrat suam proprietatem & qualitatem; & quia quælibet intentio demonstrat suam proprietatem & qualitatem, memoria & intellectus & voluntas hominis percipiunt amorem, qui est in homine utente ordinatè primâ intentione & secundâ.

27. Quando prima intentio, *Domine*, fit secunda & secunda fit prima in aliquo homine, tunc memorando intelligendo & volendo potest percipi in proprietatibus & qualitibus ambarum intentionum, quòd ille homo sit inimicus & falsus amator per inordinationem ambarum intentionum.

28. K. *Honorate Domine super omnes honorationes, amate super omnes amores!* Quando homo volendo memorat & intelligit differentiam & contrarietatem, quæ est inter primum motum & secundum, potest cognoscere quinam sit amicus & quinam inimicus; quia proprietas & qualitas primi motus significant verum amorem & aversionem omnis rei malæ & falsæ, & proprietas & qualitas secundi motus significant qui-

nam

nam sit falsus amor, & quænam res disamentur contra justitiam & veritatem.

29. Qui amant vel disamant per primum motum, *Domine*, amant vel disamant secundum naturam & proprietatem primi motus, cui est proprium amare id, quod est bonum & dignum esse in *esse*, & disamare id, quod est dignum disamari & contemni per hoc, quod sit malum & vile & indignum esse secundum respectum sui ipsius, & solum est ut per ipsum cognoscatur bonum, quod amatur per primum motum & disamatur per secundum.

30. Naturale est secundo motui secundum proprietatem suæ naturæ, *Domine*, amare id, quod non est dignum esse in *esse*, & disamare id, quod est dignum esse in *esse*; & propterea, quando homo amat per secundum motum, amat peccatum & defectum & odio habet opera virtuosa; quia, sicut secundus motus habet respectum ad non *esse*, ita facit hominem amare id, quod non est dignum amari, & disamare id, quod est dignum amari: unde benedictus sis, *Domine*,

ne,

524 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ne, quia per octodecim res supra dictas percipitur quinam sit verus amator vel disamator, dummodo inquisitio fiat per proprietates & qualitates & significationes memorando & intelligendo & volendo laudem & amorem sui Domini DEI.

CAPUT CCIII.

*QUOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat quinam sit verus & fidelis, &
quinam falsus & deceptor.*

1. **O** *DEVS nobilis super omnes nobilitates, gloriose super omnes glorias!*
Qui vult percipere & cognoscere hominem fidelem & hominem falsum, oportet, quòd fidelitatem & falsitatem inquirat tribus rebus, quæ sunt tentatio, & forma intellectualis, & significatio; & has tres res oportet inquirere in octodecim, sumendo eas binas, scilicet in amore & inimicitia, iustitia & injuria, memoria & oblivione, rationalitate & sensualitate, honoratione & inhonoratione,

tione, datione & ablatione, commendatione & redditione, divisione & distributione rei communis, firmitate & alteratione.

2. *Amabilis Domine!* Sicut crystallus ratione suæ claritatis demonstrat oculis corporalibus figuram, quæ est retro se, ita octodecim prædictæ qualitates ratione suarum significationum demonstrant, quinam homines sint fideles & quinam falsi; & sicut oculis corporalibus oportet hominem aspicere crystallum, si velit videre figuram, quæ est retro ipsam, ita oculis intellectualibus oportet aspicere octodecim qualitates cum tentatione & figura intellectuali & significationibus, quas qualitates dant de homine falso & de fideli, si quis velit eos cognoscere.

3. *Vere Domine!* Sicut speculum repræsentat figuras, secundum quod sunt ei propinquæ vel ab eo remotæ, ita prædictæ qualitates repræsentant formam fidelitatis vel falsitatis, secundum quod homo est eis propinquus vel ab eis remotus; quia homines fideles significantur fideles secundum quod
sunt

sunt propinqui qualitatibus habentibus naturam significandi fidelitatem, & homines falsi significantur falsi secundum quod sunt propinqui qualitatibus habentibus naturam significandi falsitatem vel infidelitatem.

4. b. *O Domine DEVS, qui es tota mea spes & tota mea vivificatio!* Qui vult inquirere an aliquis homo sit fidelis vel falsus, oportet, quod eum tentet demonstrando ei signa amoris; &, si non possit eum cognoscere per ista signa, oportet, quod eum tentet demonstrando ei signa inimicitiae; & postquam illum tentaverit his duobus modis, oportet, quod intellectualiter formet in sua anima significationes, quas ei dabit tentatio secundum signa amoris & inimicitiae.

5. Si homo, qui tentatur cum amore, *Domine*, sit fidelis, statim amor faciet eum amare; quia natura fidelitatis est facere hominem amare illum, qui ei dat significationem amoris, & forma amoris significabit in eo formam fidelitatis; sed, si homo tentatus cum amore sit falsus & infidelis,

amor

amor significabit in eo formam falsitatis; quia natura infidelitatis vel falsitatis est facere hominem decipere illum, qui ei dat significationem amoris, eò quòd meliùs potest decipere illum, qui eum amat, quàm qui eum non amat.

6. Si homo, qui tentatur cum similitudine inimicitiae sit fidelis, *Domine*, quando videbit se difamari, statim quæret an erraverit contra illum, qui ei dat signa inimicitiae, & quæret reconciliari ipsi petendo ab eo indulgentiam, & per hoc fidelitas formabit eum fidelem illi, qui eum tentat; sed, si ipse sit falsus, quando videbit signa inimicitiae, statim tristabitur & se excusabit & commovebitur ad iram & malevolentiam & non petet indulgentiam, imò inculpabit eum, qui ipsum tentat, dicendo contra eum falsitates & fraudes.

7. c. *Laudate Domine ab omnibus populis, honorate Domine super omnes honorationes!*
Faciendo justitiam vel injustitiam cognoscit homo quinam sit fidelis & quinam falsus; quia, quando facit justitiam fidei, statim

tim

528 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
tim justa sententia significat eum fidelem,
& quando facit ei injustitiam, similiter; sed
de homine falso non est ita, quia sive fiat
ei justitia sive injustitia semper significatur
falsus.

8. Quando homo fidelis, *Domine*, se-
cundum justitiam punitur, statim laudat
sententiam & cognoscit suam culpam, &
omnem poenam, ad quam damnatur, liben-
ter acceptat, & fatetur se esse culpabilem
& reprehensibilem; sed, si ipse tentetur cum
injuria, quæ ei fiat, habet patientiam & opi-
natur se defecisse, & petit gratiam vel suc-
cursum vel consilium & non habet male-
volentiam nec retribuit malum pro malo,
imò opinatur illud damnum injustè sibi il-
latum ei convenire propter aliquas culpas,
quibus est culpabilis.

9. Quando homo falsus tentatur, *Do-
mine*, cum injustitia, quæ ei fiat, statim con-
queritur & irascitur & movetur ad male-
volentiam, & dicit falsitates & deceptio-
nes, & imaginatur & tractat quomodo pos-
sit sumere vindictam & decipere illum, qui
eum

eum injuriavit, & quodcunque bonum ab illo receperit discognoscit & ignorat; sed, si ipse tentetur cum justitia & cum sententia, quæ fiat in favorem ipsius, statim se laudat & dicit malum de suo adversario, & non est satisfactus de sententia, imò videtur ei, quòd sibi fiat injuria non dando ei plus quàm justitia petit.

10. d. *Fortis Domine super omnes fortitudines, amorose super omnes amores!* Qui vult percipere an aliquis homo sit fidelis vel falsus, tentet eum in memoria vel in oblivione rerum præteritarum; quia, si homo sit fidelis & debeat narrare res præteritas & recordetur earum, narrabit eas eodem modo, quo eas viderit vel audierit vel fecerit, quin aliquid addat vel demat, & si non recordetur earum, fatebitur suam oblivionem; sed, si homo sit falsus & narret res præteritas, vel addet aliquid vel demet; & si non recordetur earum, non confitebitur suam oblivionem, & finget & dicet res, quæ nunquam fuerunt.

11. Quando homo, *Domine*, tentat

hominem fidelem in benefactis ipsius, laudando ipsum vel faciendo eum narrare illa, fidelitas eum figurat & demonstrat sinè superbia nec vana gloria ; & , quando eum tentat in aliquibus malefactis, in quibus defecit & peccavit, fidelitas facit eum esse verecundum & poenitentem & petere remissionem & fateri veritatem ; sed de homine falso non est ita, quia , quoties tentetur faciendo eum narrare aliqua benefacta ab ipso, semper superbit & vanigloriatur ; & , si tentetur in rebus, in quibus erravit & defecit, semper eas negat vel se excusat vel eas dicit modo, quo non appareat, quòd erraverit & defecerit.

12. Quando aliquis homo tentat alium significando ei, quòd sit oblitus alicujus gratiæ, quam ei fecit, *Domine*, si homo tentatus sit fidelis, reducit in memoriam tentantis illam gratiam, quam ab eo recepit, & est ei gratus pro ipsa ; sed homo falsus facit oppositum, quia, si quis simulet se non recordari de aliqua gratia, quam ei fecit, ipse, ne videatur debere aliquid retribuere,

Vol. II. Lib. III. Di. XXIX. Cap. CCIII. § 3 e
buere, significat se non habere in memoria
illam gratiam; &, si aliqua displicentia sit
ei facta ab illo, reducit eam in memori-
am ipsius.

13. e. *Gloriose Domine, complete gratiam
& benedictione!* Qui vult percipere & sci-
re an aliquis sit fidelis vel falsus, aspiciat
& inquiret cujus potentia sit servus & sub-
ditus, scilicet an potentia sensitiva an ve-
ro rationalis, quia natura est potentia ra-
tionalis facere fidelem omnem hominem
ei subditum & obedientem, & natura est
potentia sensitiva facere falsum & decep-
torem omnem hominem ei subditum &
obedientem.

14. Ratio & causa, quare rationalis
potentia facit fidelem omnem hominem si-
bi subditum & obedientem, est, *Domine,*
quia fidelitas & ratio concordant & con-
veniunt in natura, cum ratio amet verita-
tem & ordinationem & iustitiam & omne
bonum & fidelitas etiam; sed de potentia
sensitiva non est ita, quia ipsa non habet
respectum ad veritatem nec ad ordinatio-

nem

nem nec ad justitiam nec ad æqualitatem, imò amat oppositum istarum qualitatum, & propterea facit falsum & infidelem & mendacem & injuriosum & invidum omnem hominem sequentem naturam & proprietatem ipsius & inobedientem rationali potentia.

15. Sicut quædam animalia generant alia secundum suam speciem & proprietatem, ita, *Domine*, rationalitas & sensualitas faciunt hominem fidelem vel infidelem secundum suam proprietatem; quia, sicut vir & mulier generant formam hominis & non formam equi, ita rationalitas figurat & format hominem fidelem; & sicut equus & equa generando formant aliud animal suæ speciei, ita sensualitas format & figurat infidelitatem & falsitatem in omnibus illis, qui eam faciunt dominam sui ipsorum.

16. f. *Creator Domine, qui creasti & edificasti quidquid est!* Qui vult inquirere & scire quinam homo sit fidelis & quinam falsus, tentet eos honoratione vel inhonoratione;

ratione; quia, si homo fidelis honoretur plus quam ad eum pertinet, non acceptat honorationem & verecundatur si tali modo honoretur; &, si ipse inhonoretur, habet patientiam & non reputat illam inhonorationem tantam quanta est.

17. Quando homo falsus, *Domine*, tentatur cum honorationibus, quantumcunque magnæ honorationes ei fiant, omnes ei placent; &, si non honoretur secundum quoad ad eum pertinet, se reputat ignominiatum; &, si contemnatur & inhonoretur, non habet patientiam, & opinatur contemptum esse multò majorem quam de facto sit, & cogitat quomodo possit sumere vindictam, & obliviscitur quascunque honorationes ei fecerit, qui eum sic tentat.

18. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, sicut nigredo recipit formam caloris & albedo frigoris, ita fidelitas formatur in homine fideli, & infidelitas in homine falso, quando uterque tentatur per honorationem vel inhonorationem; quoniam, sicut calor vel siccitas faciunt colorem

nigrum

nigrum venire de potentia in actum, ita honoratio vel inhonoratio ostendunt figuram fidelitatis vel infidelitatis, dummodo homo sciat facere tentationem ordinate pro ut oportet.

19. g. *O Domine DEVS, qui errantes dirigis in viam veritatis!* Quando aliquis homo inquit in alio fidelitatem vel falsitatem, oportet, quod eum tentet bonis, quæ ei det, vel bonis, quæ ab eo auferat; quia dare & auferre sunt res significantes & demonstrantes formam fidelitatis vel falsitatis, dum homo sciat recipere significationes, quæ hanc formam repræsentant & demonstrant.

20. Quando homo, *Domine*, dat aliqua bona homini fideli, iste est ei gratus & se reputat oneratum & obligatum ad retribuendum secundum suam potestatem & secundum æqualitatem donorum, quæ recipit; & si auferatur ab eo aliquod bonum, statim indulget & habet patientiam, & iudicat se dignum illius perditionis ratione suarum culparum.

21. Quando homo, *Domine*, dat homini falso aliquas res, iste statim invidet plures, & plus habet in memoria res, quæ ei non dantur & quas invidet, quàm res, quæ ei sunt datæ, & propterea non se reputat satisfactum nec gratias agit pro rebus ei datis, imò cogitat & imaginatur quomodo possit habere id, quod ei non datur; &, si aliquis eum tentet auferendo ab eo aliquam rem, statim excitatur ad iram & displicentiam & impatientiam, & imaginatur & cogitat quomodo possit illum decipere, ut illam rem vel aliam meliorem possit recuperare.

22. h. *Domine DEVS, qui cor tui servi accendisti & inflammasti vero amore!* Quando aliquis homo commendavit alteri aliquam rem, & postea petit ab eo ut illam rem ei reddat, potest in eo percipere fidelitatem vel falsitatem; quia, si commendatur homini fideli aliqua res, ipse eam custodit tanquam si esset sua, & quando ab eo petitur, statim eam reddit, cum natura fidelitatis sit facere hominem fervum & subditum ad custodiendum rem ei commendatam.

datam.

23. Benedictus sis, *Domine*, quia non est ita de homine falso, quoniam ipse habet adeò magnum fervorem amandi res suas & invidendi bona sui proximi, quòd multò meliùs custodiat res suas, quàm res ei commendatas; & propterea istas non bene custodit, & eas reddit deterioratas, & aufert ab eis quidquid potest; & si inculpetur, quærit excusationes vel ignorantias, vel negat vel fingit falsitates & fraudes.

24. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia Tu probas homines isto modo, ut qui sunt fideles assumant formam fidelitatis, & qui sunt falsi assumant formam falsitatis & fraudis; quoniam Tu commendas cuilibet suum corpus & suam animam & bona temporalia, & das ei liberam voluntatem & potestatem, ut ea sibi retineat vel ea Tibi reddat; & qui sunt Tibi fideles, omnia Tibi reddunt, & qui sunt falsi & infideles, attri buunt sibi met ipsis, quæ eis commendaisti.

25. i. *O Domine, qui languere facis meum*

corpus amore, & madefacis meos oculos lacrymis! Quando homo jubet res communes dividi in partes, potest cognoscere quinam sit fidelis & quinam falsus; quia in divisione partium formatur & significatur & demonstratur fidelitas vel falsitas in dividente, aspiciendo & percipiendo æqualitatem & quantitatem & proportionem partium & illorum, pro quibus ipsæ fiunt.

26. Quando homo fidelis dividit rem communem, *Domine*, facit æquales partes secundum quod convenit illis, qui partes recipere debent, quia ipse est subditus conscientia, & ideo conscientia facit eum destinare minorem partem pro se, quam pro aliis; sed homo falsus in divisione seligit sibi & illis, quos amat, meliores & majores partes, & non respicit æqualitatem nec justitiam, quia falsitas inordinat voluntatem ipsius per hoc, quod non sit subditus conscientia nec rationi nec veritati, imò sit subditus potentia sensitivæ, quæ facit eum injuriosum & falsum & invidum.

27. Tu, *Domine DEVS*, dedisti bo-

na

na temporalia communiter, & voluisti quòd homines divites ea dividerent inter se & pauperes secundùm quod convenit necessitati ipsorum; sed homines divites, qui sunt falsi, destinant sibi tales partes & tam magnas, quòd propterea pauperes moriantur præ fame & siti & frigore & miseria, quâ morte non morerentur, si essent fideles, qui dividunt bona temporalia.

28. K. *Cælestis Domine, á quo meæ perfectiones recipiunt perfectionem, & mei amores augmentum!* Per firmitatem & alterationem cognoscitur quinam homines sint fideles & quinam falsi; quia firmitas significat fidelitatem, quoniam homo fidelis non mutatur nec alteratur nec corrumpitur per labores nec per egestates nec per mala, quæ ei fiant, nec per ullas minas, nec corrumpitur per munera, quæ ei dentur vel promittantur, nec per honorationem, quæ ei fiat, imò stat firmus in suo proposito confidendo in tua Justitia & timendo eam, & sperando in tuo adjutorio & in tua dulci Misericordia.

29. *Gloriose DEVS!* Quando homo est falsus, est alterabilis & mutabilis de una voluntate in aliam, & pro parvo munere vel honoratione vel placito, quod alius ei faciat vel dicat, facit eum mutari in quantum velit; quia natura hominis falsi est, quòd falsitas faciat eum operari contra suam conscientiam, & natura conscientiae est privare in homine falsitatem & fraudem; & quia homo alterabilis quandoque sequitur suam conscientiam & quandoque falsitatem, propterea non est firmus, & in sua alterabilitate significatur falsitas, per quam privatur in eo firmitas, & in qua est alteratio.

30. Quando ego miser recordor me ipsum & inquirò in me modum, per quem potest cognosci homo fidelis & homo falsus, *Domine*, percipio & intelligo & cognosco me esse falsum & deceptorem erga Te & me & meum proximum, quia multis horis & multis diebus & multis annis volui decipere Te, decipiendo me & meum proximum; & quia ego me obtuli & dedi fidelitati ut imposterum sim tuus servus & subditus,

540 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
ditus, peto à Te gratiam ut impofterum non
permittas falſitatem eſſe in tuo amatore,
quem valde pœnitet defectuum, quos fecit
contra ſuum Dominum DEUM.

CAPUT CCIV.

QVOMODO HOMO PERCIPIAT
& cognoscat qualiter habens bellum poſſit
habere pacem & concordantiam cum
ſuis inimicis.

1. **D**EVUS glorioſe, perfecte & complete
a. **D**omnibus complementis & omnibus
perfectionibus! Tu, Domine, ſcis tres eſſe vias,
per quas quidam homines habent bellum,
& quidam pacem & concordantiam cum
aliis, quarum viarum prima eſt ſenfualis,
ſecunda intellectualis, & tertia eſt compo-
ſita ex ſenfualitate & intellectualitate.
2. Unde, quia iſtæ tres res, Domine,
ſunt regula & radix, per quam homo habet
bellum vel pacem, inquiremus in eis artem
& modum, per quem ſciamus percipere &

cognoscere quomodo possimus habere pacem & fugere à bello & labore; & hanc inquisitionem faciemus cum aliis tribus rebus, quæ sunt amor, & inimicitia, & significatio, quam amor & inimicitia dant de se ipsis.

3. Cúm amor, *Domine*, det significationem de pace, & inimicitia det significationem de bello, per hoc quòd amor & inimicitia sint vel in sensualitate vel in intellectualitate vel in ambabus simul, sensualitas vel intellectualitas vel ambæ simul dant significationem de amicitia vel inimicitia, & per hanc significationem potest homo percipere quomodo perveniatur ad pacem & ad bellum.

4. b. *O Domine DEVS, pro quo mei oculi plorant, & meum cor est in amore!* Quando homo est in bello & labore sensualiter in hoc, quòd una sensualitas pugnet contra aliam, tunc debet aspiciere quænam sensualitatum sit amans & quænam odians; quia quædam sensualitates amant aliquam rem necessariam vel non necessariam, & aliæ sensualitates

sualitates eis contrariæ odiunt aliquam rem vel ratione superfluitatis vel ratione necessitatis.

5. Si homo, *Domine*, inquiret isto modo in sensibus corporalibus, poterit percipere quænam sensualitates amentur & quænam odiantur à potentia sensitiva vel à rationali; & si inveniatur, quòd suus inimicus amet per potentiam sensitivam, & ipse odiat per potentiam rationalem, potest se componere cum eo, spernendo res sensuales & amando res intellectuales; sed, si inveniatur, quòd suus inimicus amet per potentiam rationalem, & ipse odiat per potentiam sensitivam, potest componere se cum eo, sequendo naturam potentiæ rationalis & resistendo potentiæ sensitivæ.

6. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia omnis homo volens habere pacem & fugere à labore, debet aspicere quænam potentiæ sit supra aliam; & si inveniatur, quòd sua sensualitas sit supra intellectualitatem, debet eam deprimere & elevare intellectualitatem ad suum locum; quoniam

nunquam haberet homo pacem cum suo inimico, si esset obediens suæ sensualitati & inobediens suæ intellectualitati, quando inordinatio potentiarum est occasio laboris & belli, in quo est cum illo.

7. c. *O Domine DEVS, in quo est totus noster thesaurus & tota nostra spes!* Si homo sit in bello ratione alicujus rei sensualis, quam vult habere, ratione hujus belli transit ad bellum intellectuale, disamando illum, qui ei impedit possessionem rei, quam amat possidere: igitur, si homo inveniat se inimicum & malevolum illius, qui possessionem ei impedit, inquiret in se an malevolentia oriatur & derivetur à potentia sensuali vel à rationali; &, si inveniat, quòd oriatur à potentia sensuali & vult habere pacem, oportet, quòd suam potentiam sensualem mortificet & subdat potentia rationali illius, cum quo est in bello.

8. Multoties evenit, *Domine*, bellum & labor inter duos homines, quorum unus amat alium & alius ipsum odit, & tunc, si ille, qui amat illum, qui eum odit, velit esse

in

in pace & exire à labore, oportet, quòd aspiciat quænam sit occasio sui amoris & occasio odii sui inimici ; & , si occasio provenit à rebus sensualibus, oportet, quòd pax fiat in rebus sensualibus & intellectualibus concordantibus ita, quòd una sensualitas concordet cum alia & una intellectualitas concordet cum alia , quia aliter non posset habere perfectam pacem.

9. Benedictus sis, *Domine DEVS*, quia si ista ars & modus sciretur, non esset ullus homo quantumcunque inimicus, cum quo non posset haberi pax & concordantia ab illo, qui vellet, dummodo sciret & vellet concordare alias sensualitates cum aliis, concordando alias intellectualitates cum aliis; sed homines nescii in hoc decipiuntur, quia per discordantiam sensualitatum & intellectualitatum putant habere pacem, quam non possunt habere, quia non quærunt eam modo, quo potest inveniri & haberi.

10. d. *O virtuose Domine, in quo confidimus & speramus!* Quando duo homines bellant super aliquam rem sensualem & ambo
sunt

sunt servi & subditi potentia sensitivæ & inobedientes potentia rationali, tunc sunt inimici adinvicem, & istud bellum est pejus, quod esse possit, quia non est in eo ulla potestas potentia rationalis.

II. Igitur, qui vult habere pacem & concordantiam, oportet, *Domine*, quòd cum sua rationalitate mortificet suam sensualitatem ut sit amator sui inimici, quia per amorem poterit concordare rationalitatem illius cum sua, & per concordantiam factam in intellectuali natura poterit fieri concordantia in sensuali natura; &, si per istum modum non possit homo habere pacem, oportet, quòd non pugnet contra suum inimicum sensualiter sed solùm intellectualiter per rationes & per cursum juris, quia isto modo poterit invenire pacem; & si ita sit, quòd homo non possit sumere istum modum, oportet, quòdumat alium, scilicet quòd pugnet contra suum inimicum sensualiter, & sensualitatem ipsius constringat & vincat viribus sensualibus, ut per mortificationem sensualitatis mortificetur malevolentia, quæ

Mm

est

546 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
est in intellectualitate.

12. Sed, si ita sit, *Domine*, quòd homo volens habere pacem cum suo inimico non possit sumere ullum istorum modorum ratione magnæ malitiæ & magnarum virium & magnæ inimicitia sui inimici, non superest ei aliud consilium quàm vincere se, & illi relinquere rem sensualem & fugere ab eo; quia aliter non posset habere pacem cum homine malo & potente & irrationabili, nisi fugiendo ab eo & relinquendo ei rem, propter quam est bellum & pugna, quia privatio possessionis est occasio pacis, quando possessio est occasio belli.

13. e. *Excellent Domine, qui es perfectio mea memoria & mei intellectus & mea voluntatis!* Multoties evenit, quòd in homine sit bellum inter naturam sensualem & naturam intellectualem, & tunc debet homo aspicere & inquirere quænam earum amet & quænam disamet aliam, vel an ambæ odiant se invicem, quia bellum, quod est inter naturas sensualem & intellectualem, vel est occasione unius earum vel occasione

am-

ambarum.

14. Et, si homo, *Domine*, inveniatur, quòd natura sensualis sit inimica naturæ intellectualis & natura intellectualis sit amica naturæ sensualis, tunc significabitur, quòd corpus sit inimicum animæ & anima sit amica corporis; quia, sicut est naturale corpori disamare animam per naturam sensualitatis, ita est naturale animæ amare corpus per naturam rationalitatis; & tunc, si homo velit ponere pacem inter naturas sensualem & intellectualem, faciat quòd natura sensualis sit obediens intellectuali.

15. Sed, si homo, *Domine*, inveniatur naturam intellectualem odire & disamare sensualem & eam ponere in labore & bello, & naturam sensualem esse amicam & subditam intellectuali, tunc significatur, quòd natura intellectualis sit obediens dæmoni, qui eam facit disamare naturam sensualem, ut corrumpatur & debilitetur & non possit esse subjectum, in quo ipsa natura intellectualis habeat suas virtutes in actu, amando & laudando suum Dominum & suum DE-

UM;

UM ; &, qui in hoc bello vult facere pacem, non habet aliud consilium, quàm quòd natura intellectualis non obediat dæmoni, qui eam inordinat ne amet id, quod debet amare & ordinare.

16. f. *O Creator Domine cæli & terra, Benefactor noster !* Quando homo est in labore & bello in natura intellectuali per hoc, quòd quædam intellectualitates contrariantur aliis, si velit habere pacem, debet inquirere quænam sit occasio pugnæ suarum intellectualitatum, & debet scire an occasio sit sensualis vel intellectualis, & quænam natura amet vel odiat.

17. Si occasio, per quam intellectualitates hominis, *Domine*, sunt in bello, sit sensualis, intellectualitates sunt inordinatæ per sensualitates; & tunc, si homo velit habere pacem in intellectualitatibus, ordinet & concordet sensualitates; sed, si intellectualitates sint in bello occasione intellectuali, tunc bellum est ratione voluntatis & intellectus & cogitationis & imaginationis, quæ habent discordantiam & contrarietatem in-

ter

ter hominem sapientem & nescium vel ignorantem, & inter virtuosum & vitiosum, qui disputando pugnant & discordant.

18. Unde, qui disputando est in labore & bello modo prædicto, *Domine*, si velit habere pacem, inquireat subjectum continens occasionem, ex qua venit & derivatur labor & bellum, quod subjectum est inquirendum in quinque rebus, quæ sunt genus, species, differentia, proprietas, & accidens: igitur, cum homo possit in his quinque rebus invenire occasionem belli, oportet, quod si velit habere pacem concordet sensualitates & intellectualitates, quæ discordant per ignorantiam vel per contrarietatem subjecti ignorati & incogniti, à quo bellum & pugna derivatur.

19. g. *Domine liber super omnem libertatem, Domine nobilis super omnem nobilitatem!*
Quando una anima pugnat contra aliam, tunc est bellum intellectuale, quia una memoria pugnat contra aliam & unus intellectus contra alium & una voluntas contra aliam; & quando pugna est mixta in tribus

550 *B. Raym. Lulli Lib. Contempl.*
bus virtutibus animæ, extenditur per omnes quinque sensus intellectuales.

20. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia sicut pugna sensualis fit inter duo corpora humana ratione quatuor elementorum, ex quibus sunt composita, & ratione quinque sensuum corporalium, ita pugna & malevolentia intellectualis fit inter duas animas ratione trium virtutum & quinque sensuum intellectualium discordantium & disconvenientium & disamantium inter se.

21. Igitur, qui vult habere pacem & concordantiam in bello intellectuali, *Domine*, oportet, quòd concordare faciat suam animam & animam sui adversarii in memorando intelligendo & volendo; & per hanc concordantiam factam inter ambas animas fiet pax & concordantia inter sensus spirituales unius & alterius, qui non possunt habere bellum, dum memoria intellectus & voluntas concordent.

22. h. *Perfècte Domine in omnibus perfectionibus, honorate Domine in omnibus honorationibus!*

rationibus ! Quando bellum est intellectualiter inter duas animas, crescit per adjunctionem sensualitatum; & sicut intellectualitates pugnant contra se invicem intellectualiter irascendo & disamando & affirmando & negando, ita sensualitates pugnant contra se invicem sensualiter capiendo & cogendo & torquendo & vulnerando & occidendo.

23. Igitur, qui vult habere pacem sensualiter, caveat, *Domine*, ne pugnet intellectualiter, quia sensualitates semper habent pacem, quando intellectualitates eam habent; sed, si homo habeat bellum intellectualiter, nunquam potest habere pacem sensualiter; & hoc idem accidit in intellectualitatibus, quia nunquam potest homo habere pacem intellectualiter, nisi eam habeat sensualiter.

24. Unde, quando homo venerit ad hoc, quòd sit in bello cum suo inimico intellectualiter & sensualiter, si velit habere pacem, *Domine*, inquiret eam in rebus intellectualibus, & faciat potentiam rationalem
do-

dominam potentiaē sensitivæ; & si non possit invenire pacem in rebus intellectualibus, inquirat eam in rebus sensualibus, mortificando vires & naturam earum, quia per hanc victoriam & mortificationem pacificatur homo in natura intellectuali.

25. i. *Domine amate, Domine honorate, Domine time!* Quia Christiani & Saraceni pugnant intellectualiter in hoc, quòd discordent & contrariantur in fide & credentia, propterea pugnant sensualiter; & ratione hujus pugnae multi vulnerantur & captivantur & moriuntur & destruuntur, per quam destructionem devastantur & destruuntur multi principatus & multæ divitiæ & multæ terræ, & impediuntur multa bona, quæ fierent si non esset talis pugna.

26. Igitur, qui velit ponere pacem inter Christianos & Saracenos, *Domine*, & velit, quòd cessent magna mala, quæ veniunt ex bello ipsorum, oportet, quòd eos pacificet in sensuali natura, ut alii possint esse inter alios, & per pacem sensualem transire ad pacem intellectualem; & quando bel-

lum

Vol. II. Lib. III. Di. XXIX. Cap. CCIV. 553
lum intellectuale sit finitum, erit pax & concordantia inter ipsos per hoc, quòd habeant unam fidem & credentiam, quæ erit eis occasio & ratio pacis sensualis.

27. Sed, quia Christiani, *Domine*, sensualiter non habent pacem cum Saracenis, propterea non audent disputare de fide cum ipsis, quando sunt inter eos; &, si Christiani haberent pacem sensualiter cum Saracenis, & possent disputare cum eis de fide sine bello sensuali, esset possibile, quòd eos dirigerent & illuminarent in via veritatis per gratiam sancti Spiritus & per veras rationes significatas in perfectione tuarum qualitatatum.

28. K. *Cælestis Domine, Pater omnium temporum!* Quando Tu misisti tuum Filium ad assumendum humanam carnem, ipse & sui Apostoli & Discipuli habuerunt pacem sensualiter cum Judæis & Pharisæis & aliis hominibus, quia nunquam captivarunt nec occiderunt nec coegerunt sensualiter ullum hominum, qui in Te discredebant, & qui ipsos persequerentur; & ideo tuus Filius

&

& sui Apostoli & sui Discipuli amarunt pacem sensualem, ut illos, qui contra eos erant in via erroris, adducerent ad habendum pacem intellectualem in gloria.

29. Igitur sicut Tu, *Domine*, & tui Apostoli & Discipuli habuistis pacem sensualem in hoc, quòd non pugnastis sensualiter, licèt vobis fieret bellum sensuale, ita esset valde rationabile, quòd Christiani haberent in memoria modum, quem Tu & Apostoli habuistis, & irent ad habendum pacem seu sensualem cum Saracenis, ut possent dare laudem & gloriam de Te, qui, mortificando naturam sensualem, attulisti in terram pacem intellectualem.

30. Sed, quia fervor & devotio, quæ erat in Apostolis & sanctis hominibus præterito tempore, non est in nobis, & fere in toto mundo est infrigidatus amor & devotio; propterea mihi videtur, quòd Christiani faciant vim in bello sensuali multò majorem quàm in intellectuali, & ratione timoris belli sensualis nolint ire ad quærendum pacem intellectualem modo, quo

Tu

Tu & tui Apostoli eam quæstivisti, effundendo lacrymas & suspiria & sanguinem, & sustinendo angustiosam mortem ad dandum gloriam & laudem de Te, qui es nos-
ter Dominus DEUS.

CAPUT CCV.

QUOMODO HOMO PERCIPIAT
*& cognoscat res, in quibus est perfectio, & res,
in quibus est defectus.*

1. **O** *DEVS* virtuose, amorose, gratiose,
a. **O** *cui detur omnis gloria & omnis ho-
nor & omnis honoratio !* Quia homo, *Domine,* est duæ substantiæ, scilicet substantia
sensualis & substantia intellectualis, est in
eo perfectio vel defectus ex parte substan-
tiæ sensuales & ex parte substantiæ intellec-
tualis; & propterea oportet facere inquisi-
tionem sensualem & intellectualem, si ve-
limus inquirere perfectionem vel defectum
hominis, & hanc inquisitionem oportet fieri
in quatuor causis, scilicet in factore & in
ma-

materia & in forma & in causa finali.

2. Quia sensualitas in homine est valde diversa ab intellectualitate, *Domine*, propterea evenit, quòd quædam res sint perfectio in sensualitate, quæ sunt defectus in intellectualitate, & quædam res sint perfectio in intellectualitate, quæ sunt defectus in sensualitate: igitur, cum hoc ita sit, oportet, quòd inquisitor perfectionis & defectus in homine faciat inquisitionem sensualiter & intellectualiter.

3. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia, sicut ambæ substantiæ in homine non sunt similes in natura nec in proprietatibus, ita perfectiones & defectus, qui sunt in eis, non sunt similes in natura nec in proprietatibus, & propterea perfectiones & defectus in homine debent inquiri secundum naturam & proprietatem cujuslibet substantiarum.

4. b. *O JESU Christe Domine, qui natus es de Virgine gloriosa!* Perfectionem & defectum sensuales cognoscit homo per quinque sensus corporales, quia per eos percipit

perfectiones & defectus, qui sunt in corpore humano; quoniam, sicut vas plenum significat perfectionem & complementum, ita, quando quinque sensus sensuales sunt bene ordinati & habent complementum, significant & demonstrant, quòd corpus sit sanum & bonæ dispositionis & habeat perfectionem sensualem; &, sicut vas vacuum vel semiplenum significat defectum, ita quando quinque sensus sensuales sunt inordinati, significant in corpore humano defectum.

5. *Pie Domine!* Sicut pulchra arbor habens pulchros ramos & folia & flores significat in se perfectam formam, ita, quando corpus hominis est bene coloratum & sanum & deliciosum & bonæ staturæ, demonstrat, quòd quatuor qualitates & quatuor complexionem habeant in eo perfectam ordinationem & perfectum temperamentum; &, quando corpus hominis non est bene coloratum & deliciosum, demonstrat, quòd qualitates & complexionem non habeant in eo perfectionem in sua conjunctione, imò habeant defectum temperamenti & ordinationis.

6. Quando corpus hominis, *Domine*, non est proportionatum subjectum, ut anima possit habere in eo suas virtutes in actu, significatur in eo defectus, quia ratione ipsius anima non potest habere suas virtutes in actu; sed, quando corpus est ita directum, quòd anima possit in eo habere suas virtutes in actu & virtuosè, significatur, quòd ipsum non careat perfectione necessariâ actualitati virtutum animæ.

7. c. *Salvator Domine, qui amas & honoras tuos benevolos!* Quando aliquis inquit perfectionem in homine, non debet eam inquirere in sola natura sensuali; quia perfectio hominis non consistit in genere nec in honoratione, cum multò plus valeat homo justus vilis generis, quàm homo injuriosus nobilis generis; neque perfectio hominis consistit in pulchritudine corporis nec in magnitudine nec in divitiis, cum plus valeat homo deformis parvus pauper virtuosus & bonorum morum, quàm homo pulcher magnus dives vitiosus & culpabilis peccator.

peccator.

8. Perfectio hominis, *Domine*, non consistit in viribus corporalibus nec in sanitate nec in juventute nec in agilitate; quia multò plus valet homo debilis senex & infirmus & gravatus sensualiter, dum sit verax & fidelis & sapiens, quàm homo potens vigorosus juvenis & agilis, qui est falsus & mendax & plenus vitiis.

9. Igitur, cum hoc ita sit, *Domine*, per hoc significatur, quòd perfectio hominis non consistat in sola natura sensuali, sed potius consistat in natura intellectuali: unde, cum hoc ita sit, valdè miror quomodo possit esse, quòd multi plus appetentur & reputentur perfectiores per naturam sensualem, quàm per intellectualem.

10. d. *Beate Domine, qui scis universa quae sunt!* Qui vult inquirere & invenire perfectionem corporis, inquirat eam in perfectione animæ; &, qui vult inquirere defectum corporis, inquirat eum in natura & proprietate ipsius corporis; quia, sicut perfectio in corpore venit ex parte animæ,

ita

ita defectus in ipso venit ex parte proprietatis & naturæ ipsiusmet corporis.

11. Significatio, per quam demonstratur, quòd anima rationalis sit perfectio & complementum corporis humani, *Domine*, est mortificatio, quam anima dat sensualitatibus corporis, quando corpus est obediens virtutibus ipsius animæ; quia, sicut homo sapiens educat & instruit & docet hominem nescium, ita anima hominis, quando utitur suis virtutibus, dirigit & ordinat sensualitates corporis.

12. Significatio, & demonstratio, per quam percipimus, quòd defectus corporis veniant ab ipsomet corpore, est, *Domine*, quia videmus, quòd ipsum sinè anima non possit se movere nec possidere aliquam suarum sensualitatum, & videmus, quòd sit corruptibile, & per corruptionem habeat passionem & dissolutionem.

13. e. *Sapiens Domine sinè omni fine & sinè omni principio!* Perfectio animæ rationalis consistit in tribus Virtutibus, quæ sunt memoria, intellectus, & voluntas; quia per
has

has tres Virtutes recipit perfectionem à Te, qui es perfectio & complementum omnium bonorum; quoniam, sicut corpus recipit perfectionem ab anima, ita tres Virtutes animæ recipiunt gratiam à Te, & per ipsam anima fit perfecta.

14. Nam, quando tota memoria, *Domine*, Te memorat & totus intellectus Te intelligit & tota voluntas Te vult, tunc est anima tota plena Tui in sua memoria & intellectu & voluntate, & per impletionem memoriæ & intellectus & voluntatis est anima tota plena & perfecta memorando intelligendo & volendo Te.

15. Quando anima, *Domine*, est plena Tui in sua memoria & intellectu & voluntate, privatur in ea omnis defectus; quia, sicut duæ res corporales non possunt capi simul in uno loco, ita defectus non potest capi simul cum perfectione in anima, quando tota memoria & intellectus & voluntas habent complementum memorando intelligendo & volendo Te.

16. f. *O Domine DEVS, qui fuisti crucifixus*

cifixus & mortuus pro amore tui populi!
 Quando anima est ita plena Tui in sua memoria & intellectu & voluntate sicut vas in fundo maris est plenum aquâ, tunc complet omnes suos quinque sensus intellectuales de Te; quia cogitatio tunc non cogitat nisi in Te, & perceptio non percipit nisi Te, & conscientia non curat nisi de Te, & subtilitas non se subtiliat nisi in Te, & animositas non habet fervorem nisi in Te.

17. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, sicut speculum recipit perfectiorem formam à re sibi propinqua, quàm à re valde distante, ita anima, quò pleniores Tui habet suas tres virtutes, eò plus diffundit & expandit perfectionem, quam recipit à Te, per omnes suos quinque sensus intellectuales.

18. *Gloriose Domine!* Sicut anima virtuosa delet à corpore peccata & defectus ipsius, ita, quando ipsa se bene complet de Te per totam suam totalitatem, delet & consumit omnia sua peccata & defectus, qui
 sunt

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CCV. 563
sunt in ea ratione naturæ corporis & ratione suæmet naturæ.

19. g. *JESU* *Christe Domine, qui es Creator & Creatura* ! Quando memoria se evacuat recordatione Tui, & se implet recordatione aliarum rerum ; & intellectus non intelligit Te & putat intelligere id, quod non intelligit ; & voluntas non amat Te & amat alias res , tunc est tota anima hominis in defectu ; quia, dum Tu non sis in ea memoratus & intellectus & volitus, non potest esse in ea ulla perfectio.

20. Unde, sicut per separationem animæ rationalis à corpore humano corpus deficit & fit impotens, ita, *Domine*, per hoc quòd anima ejiciat Te de sua memoria & intellectu & voluntate, fit tota culpabilis & plena peccato & defectu : igitur, cùm anima hominis non possit esse plena nec satiata nisi memorando intelligendo & volendo Te, & omnis anima possit Te memorare intelligere & velle, maledicta est omnis anima, quæ Te ejicit de sua memoria & intellectu & voluntate.

21. Igitur, quia Tu, *Domine*, es perfectio & complementum meae animae, propterea tuus servus & tuus subditus conatur quantum potest impendere omnes vires suae memoriae in memorando Te, & omnes vires sui intellectus in intelligendo Te, & omnes vires suae voluntatis in amando Te, ut in sua memoria & intellectu & voluntate non sit ullus defectus nec ulla indigentia.

22. h. *Domine amate, Domine honorate, Domine timete!* Quando mea anima omit-
tit memorare & intelligere & velle Te, tunc memoria & intelligentia & voluntas, quas ipsa habet in aliis rebus, implent omnes meos sensus intellectuales indigentia & defectu & culpis & peccatis; quia, dum anima hominis non memoret nec intelligat nec velit Te, non habet cogitationem nec perceptionem nec conscientiam nec subtilitatem nec animositatem, nisi in peccatis & vitiis & defectibus.

23. Et quando anima, *Domine*, est vacua & defectuosa in sua memoria & intellectu & voluntate & in suis sensibus intellectualibus,

Vol. II. Lib. III. Dist. XXIX. Cap. CCV. 565
lectualibus, tunc suus defectus facit eam
servam & subditam & captivam corporis, &
ratione hujus servitutis non facit aliud, quàm
memorare & intelligere & velle & cogitare
res corpori necessarias vel placentes, & obli-
viscitur & ignorat & contemnit omnes res
sibi necessarias & proficuas.

24. Unde benedictus sis, *Domine D E-
VS*, qui scis, quòd anima tui servi multoties
ceciderit in hunc defectum, & Tu per tuam
dulcem pietatem virtuificasti memoriam &
intellectum & voluntatem ipsius, ut ipsa
sit domina corporis memorando & intelli-
gendo & volendo Te, qui es tota sua per-
fectio.

25. i. *Creator Domine, Benefactor in om-
nibus rebus!* Majus signum, quod homo pos-
sit habere de defectu suæ animæ, est, quan-
do ipsa non est satisfacta, & desiderat &
quærit suum complementum; & majus sig-
num, quod homo possit habere de perfec-
tione suæ animæ, est, quando ipsa est satis-
facta, & non sentit indigentiam in sua me-
moria & intellectu & voluntate.

26. Igitur,

26. Igitur, cùm hoc ita sit, *Domine*, per hoc significatur, quòd perfectio animæ non fit in istis rebus temporalibus; quia non adeò eas memorat nec intelligit nec vult, quòd possit impleri & satiari, imò, quò plures earum memorat & intelligit, & quò plures habet, eò plures vult habere; & quò plures vult habere, eò majorem indigentiam sentit in sua voluntate.

27. Et quòd hoc sit verum, *Domine*, probatur in hoc, quòd homines, quò plus habent de rebus temporalibus, eò plus volunt habere, & quò plus volunt habere, eò majorem indigentiam habent rerum, quas appetunt habere, quando non possunt eas habere: igitur benedictus sis, *Domine DEUS*, quia in hoc significatur & demonstratur, quòd anima hominis sit adeò altæ & adeò nobilis naturæ, quòd omnes res temporales non habeant dignitatem, per quam possint esse perfectio & complementum unius animæ rationalis; & si una, quæ haberet omnes res temporales non posset habere complementum & perfectionem ab

omnibus eis, quantò minús omnes animæ possunt habere complementum & perfectionem ab ipsis ?

28. K. *Misericors Domine, in quo speramus & confidimus in omnibus nostris necessitatibus!* In toto mundo non sunt homines habentes tot defectus, quot habent divites bonis temporalibus & pauperes bonis spiritualibus, nec in toto mundo sunt homines habentes tantam perfectionem, quantam habent pauperes bonis temporalibus & divites bonis cœlestibus : igitur, cùm hoc ita sit, *Domine*, per hoc significatur, quòd nostrum bonum & nostra perfectio non sit in hoc mundo sed in alio.

29. Igitur, cùm nostra perfectio, *Domine*, sit in alio sæculo & non in isto, qui vult habere perfectionem non inquiret eam in rebus hujus mundi, sed in bonis, quæ sunt in tua gloria : igitur, qui vult inquirere & scire an aliquis sit in via perfectionis vel in via defectus, aspiciat à quonam sæculo inquiret & petat suam perfectionem, quia si eam inquiret ab hoc sæculo, potest esse securus,

curus, quòd eam non inveniet, & si eam in-
 quirat ab alio & in alio sæculo, potest esse
 securus, quòd eam inveniet, cùm res in ve-
 niatur ubi est, & non ubi non est.

30. *Tibi, Domine DEVS*, agit gra-
 tias & laudes tuus servus, quia ei dedisti
 gratiam desiderandi & sperandi & inqui-
 rendi suum bonum & suum complemen-
 tum & suam perfectionem in tua gloria &
 in tua præsentia, & contemnendi defectus
 hujus præsentis vitæ transitoria compositæ
 & conjunctæ & intermixtæ ex vanitatibus
 & fragilitatibus & miseriis & defectibus
 per hoc, quòd homo in ea sit in absentia tuæ
 Essentiæ divinæ.

CAPUT CCVI.

*QVOMODO PERCEPTIO ET CO-
 gnitio hominis sit finita & terminata.*

1. *DEVS misericors, pie, humilis, dulcis,
 a. simplex & suavis.* Tres sunt res, in-
 trà quas est terminata virtus perceptionis

humanæ, quæ sunt, *Domine*, tua Deitas, & natura intellectualis, & natura sensualis: unde benedictus sis Tu, quia adeò magnæ sunt istæ tres res & adeò modica est cognitio & perceptio hominis in comparatione illarum, quòd non possit eas capere, imò capiatur & concludatur ab eis.

2. *Gloriose DEVS*! Sicut cognitio & perceptio hominis est finita & terminata intrà tres prædictas res, ita est finita & terminata intrà opera illarum; quia tot sunt, *Domine*, tua opera & opera naturæ sensualis & naturæ intellectualis, quòd non possint omnia sciri & percipi ab homine, eò quòd non possint capi in sapientia & scientia ipsius.

3. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*; quia, sicut voluisti terminare corpus hominis intrà sex rectitudines, ita voluisti terminare cognitionem & perceptionem animæ intrà sex res, quæ sunt tua Essentia & tua opera, natura sensualis & sua opera, & natura intellectualis & sua opera.

4. b. *O Domine DEVS*, qui in amorasti meum cor tuo amore, ratione cuius mei oculi
ha-

habent abundantiam lacrymarum & ploratum ! Quia Tu es Creator & anima hominis est creatura, propterea ipsa est finita in quantitate & est terminata in tempore & habet suam perceptionem finitam & terminatam in tua Infinitate & in tua Æternitate.

5. Quia anima hominis habet finitam & terminatam suam perceptionem in tua Infinitate & Æternitate, *Domine*, propterea intellectus ipsius non potest attingere nec percipere totam tuam nobilitatem & virtutem, cum res finita & terminata non habeat de sua natura & proprietate comprehendere quidquid est in re infinita & æterna.

6. Quia humanus intellectus non potest percipere totalitatem tuæ Essentiæ, *Domine*, propterea cadunt multi homines in errorem & hæresim, eò quòd quando intellectus eis deficit, opinentur non esse in *esse* illam rem, quam suus intellectus non percipit nec intelligit, & propterea discredunt ea, quæ non possunt capere; sed, si ipsi haberent

berent cognitionem de terminatione sui intellectus, qui est terminatus & finitus in tua magnitudine & nobilitate, non discrederent nec negarent id, quod discredunt & negant.

7. c. *Potens Domine super omnia, gratiose super omnes gratias!* Adeò multa sunt tua opera & adeò magna, quòd, licèt humana perceptio sit apta ad percipiendum multas res & possit percipere res magnas & utiles & difficiles, tamen non sufficit ad percipiendum omnia illa, & propterea oportet de necessitate, quòd humana perceptio sit finita & terminata in tuis operibus.

8. Igitur benedictus sis, *Domine DEVS*, quia illa opera tua, quæ non sunt in quantitate æqualia humano intellectui, imò sunt multò majora ipso, terminant eum, & illa opera tua, quæ capiuntur ab humano intellectu, sufficiunt ad dandum ei perfectionem.

9. Igitur, sicut vas existens in fundo maris est plenum aquâ, ita, *Domine*, humanus intellectus est plenus & completus tuis ope-

operibus; &, sicut mare terminat vas intrà se, eò quòd non possit totū capi intrà ipsum, ita & adhuc multò meliùs tua opera terminant humanum intellectum, eò quòd non possint omnia capi intrà ipsum.

10. d. *Singularis Domine, une in Trinitate una in Vnitate!* Adeò multæ sunt creaturæ sensuales & adeò diversæ abinvicem & adeò magnæ, quòd non possint omnes capi in humano intellectu; & propterea oportet, quòd illæ, quæ non possunt capi in ipso, terminent humanam cognitionem & perceptionem.

11. Quoniam, sicut quinque sensus corporales hominis, *Domine*, non sufficiunt ad sentiendum omnes res sensuales, ita intellectus ipsius non sufficit ad percipiendum omnes ipsas; quia, sicut oculi non possunt videre omnes formas nec aures possunt audire omnes voces nec nasus potest odorari omnes odores nec os potest gustare omnes sapes nec corpus potest tangere omnes res tangibiles, ita intellectus non potest percipere omnes sensualitates, quæ possent videri

& audiri & odorari & gustari & tangi, si esset qui ad hoc sufficeret.

12. Unde, quia humana perceptio, *Domine*, est ita terminata in rebus sensualibus, propterea evenit, quòd homo ignoret res sensuales, quæ sunt extra suum intellectum per hoc, quòd non possint in eo capi, & ratione hujus ignorantiaè habet opinionem & credentiam & suspicionem in rebus, quas non scit nec intelligit manifestè.

13. e. *Creator Domine siné fine, in omni tempore aterne, magne super omnes magnitudines!* Quia humana perceptio est finita & terminata in sciendo *esse* & qualitatem rerum sensualium, significatur, quòd sit finita & terminata in operibus ipsarum; quoniam adeò multa sunt opera, quæ fiunt à creaturis sensualibus, quòd non sit intellectus nec perceptio hominis, qui possit ea omnia intelligere & scire.

14. Nam, quia homo, *Domine*, est species, & animal est suum genus, propterea ipse non potest scire omnia, quæ faciunt individua sui generis: igitur, cum homo non possit

possit scire nec intelligere omnia, quæ faciunt alii homines, qui sunt suæ speciei, quomodo poterit scire omnia, quæ faciunt individua, quæ non sunt suæ speciei, scilicet vegetabilia & animalia irrationalia & metalla? hoc est impossibile.

15. In quantum homo, *Domine*, habet majorem memoriam & majorem intellectum & majorem voluntatem ad memorandum & intelligendum & volendum, in tantum sua perceptio est minus terminata, quam perceptio alterius habentis minorem memoriam & minorem intellectum & minorem voluntatem ad memorandum & intelligendum & volendum.

16. f. *Perfekte Domine, plene misericordiæ & dulcedine*: Sicut humana perceptio est finita & terminata in creaturis sensualibus & in operibus ipsarum, ita est finita & terminata in intellectualibus, quia in quantum se extendunt memoria & intellectus & voluntas hominis, in tantum est magna sua perceptio, cum ultra terminos memoriæ & intellectus & voluntatis non possit esse perceptio.

17. Unde, cū nulla memoria hominis, *Domine*, possit memorare omnes res, quæ sunt, nullus intellectus potest eas omnes intelligere; & quia, memoria non potest eas omnes memorare nec intellectus intelligere, voluntas non potest eas omnes velle: igitur per hoc, quòd istæ tres Virtutes sint ita terminatæ in homine, significatur & demonstratur, quòd homo non possit percipere nec scire omnes res.

18. Et, quia homo, *Domine*, habet suas virtutes & suam perceptionem terminatas, propterea ignorat *esse* Angelorum & dæmonum & animarum, & non potest scire nec percipere quænam res sit illud *esse* in sua essentia: igitur istam ignorantiam habet homo ratione terminationis memoriæ & intellectus & voluntatis non potentium operari in omni *esse* substantiæ intellectualis.

19. g. *Gratiosè Domine super omnes gratias, bone super omnes bonitates!* Quia homo non potest percipere totum *esse* substantiæ intellectualis, propterea non potest percipere

pere totalitatem operum ipsius; quoniam, sicut humana perceptio est terminata in substantia intellectuali, ita oportet eam esse terminatam in operibus ipsius.

20. Igitur, quia nullus homo, *Domine*, potest totaliter intelligere & scire *esse* Angelorum & dæmonum & animarum, propterea non potest percipere quidquid ipsi faciunt; sed, quia opera Angelorum & dæmonum & animarum demonstrantur humano intellectui per qualitates, propterea percipit homo aliquas res in operibus illorum, licet in eis ignoret *esse* substantiale, quod est velatum & occultum humanæ perceptioni per privationem significationum.

21. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia per hoc, quòd humanus intellectus sit finitus & terminatus in rebus sensualibus & in intellectualibus, evenit quòd homo sit in dubio & consideratione & suspitione & zelotypia & anxietate, & alteretur de una voluntate in aliam & de uno proposito in aliud.

22. h. *O Domine DEVS, qui es totus me-*

us amor & tota mea requies! Non solum est finita & terminata humana perceptio in omnibus creaturis communiter, sed etiam in qualibet earum singulariter, quia non est ullus homo quantumcunque sapiens, qui possit percipere in una creatura totam naturam & omnes proprietates & totum esse ipsius.

23. Non est ullus homo, *Domine*, qui possit percipere & scire quidquid est in uno grano vel in uno flore vel in uno folio vel in uno pomo, vel in una voluntate vel cogitatione vel amore vel in una anima vel in uno corpore: igitur, cum hoc ita sit, per hoc significatur & demonstratur humano intellectui, quod sua perceptio sit finita & terminata intra quodlibet individuum sive sensuale sive intellectuale.

24. Igitur, cum humana perceptio, *Domine*, sit finita & terminata in qualibet creaturarum in hoc, quod non possit percipere quidquid est in una creatura, quanto plus est finita & terminata in Te, qui es finis & terminus omnium creaturarum in

O o

hoc,

hoc, quòd omnes sint finitæ & terminatæ in Te & Tu sis infinitus & interminatus ultra finem & terminum omnium earum?

25. i. *O Domine DEVS, qui latificas me dando amorem meo cordi & lacrymas & ploratus meis oculis!* Tu scis, quòd humana perceptio sit multò plus terminata in actualitate, quàm in potentia, quia ratione fragilitatis & miserix corporis non potest anima habere in tanta virtute suam perceptionem actualiter, in quanta ipsam haberet, si corpus esset ei subiectum sufficiens ut eam haberet in actualitate tantam, quantam habet eam in potentia.

26. Sed, quia corpus, *Domine*, est corruptibile & alterabile & passibile & culpabile, impedit animam ne possit habere suas virtutes in illa actualitate, in qua ipsas haberet, si cum corpore non esset conjuncta in hoc sæculo.

27. Unde benedictus sis, *Domine DEVS*, quia non erit ita in alio sæculo, quando glorificaveris corpus hominis in gloria; quoniam, quantam virtutem habet nunc

anima

anima in potentia, tantam & adhuc plus habebit in actu ratione corporis, quod tunc erit ei instrumentum aptius, quàm sit nunc in hoc sæculo.

28. *K. Pater cœlestis, Domine potens omnium gloriarum!* Quia humana perceptio est terminata in hoc sæculo, ignorat omnes illas res, quæ sunt ultra suos terminos; &, quia ipsa ignorat omnes istas res, nescit homo sibi cavere à fraudibus & falsitatibus & eventibus, qui ei accidunt ratione suæ ignorantia.

29. Quia humana perceptio est res intellectualis, *Domine*, potest homo meliùs percipere res intellectuales quàm sensuales, cum meliùs conveniant & concordent cum perceptione significationes & demonstrationes & probationes intellectuales, quàm significationes & demonstrationes & probationes sensuales, quæ non sunt de natura & proprietate ipsius.

30. Tuus servus & tuus subditus, *Domine DEVS*, Te laudat & Tibi gratias agit in quantum potest, quia ei dedisti gratiam

tiam perficiendi hanc Distinctionem, & confidit in Te & in tuo adjutorio, quòd ei des vires & potestatem perficiendi alias Distinctiones futuras ad gloriam & laudem & honorationem & honorem nostri Domini DEI.

INDEX



INDEX

TITULORUM TOMI VI.

DISTINCTIO XXIX.

De Perceptione.

- CAP. 169. Quomodo homo per res sensuales percipiat intellectuales. fol. 3.
170. Quomodo humanus intellectus per quasdam intellectualitates percipiat & intelligat alias. 19.
171. Quomodo homo percipiat, & intelligat opera naturæ, & cursum ipsius. 36.
172. Quomodo homo percipiat & intelligat quænam res sint secundum cursum naturæ, & quænam extra ipsum. 50.
173. Quomodo homo percipiat & intelligat causas, per quas certificatur, & per quas est in dubitatione. 68.

CAP. 174. Quomodo homo percipiat & cognoscat res secretas. fol. 83.

175. Quomodo homo percipiat & cognoscat res, quæ sunt posibles, & res, quæ sunt impossibiles. 97.

176. Quomodo homo percipiat & cognoscat, quòd noster Dominus DEUS sit in *Esse*. 112.

177. Quomodo homo possit percipere & cognoscere quid sit divina Essentia. 131.

178. Quomodo homo percipiat & cognoscat, quòd res, quas vocat qualitates in DEO, sint essentialia & non accidentales. 146.

179. Quomodo homo per significationes intellectuales demonstratas & significatas per qualitates intellectuales percipiat & intelligat rationibus necessariis, quòd in nostro Domino DEO sit Trinitas Personarum. 164.

180. Quomodo homo per significationes qualitatium intellectualium essentialium percipiat & intelligat rationibus

nibus necessariis, quòd tres Personæ
divinæ sint tantùm una divina Sub-
stantia. fol. 183.

- CAP. 181.** Quomodo homo per significa-
tiones intellectuales demonstratas in
divinis Qualitatibus & Proprietatibus
& in divina Substantia percipiat &
intelligat tres Personas divinas ha-
bere æqualem Virtutem, & æqualem
Bonitatem & Perfectionem. 196.
182. Quomodo homo in significatio-
nibus intellectualibus divinarum
Qualitatum essentialium percipiat &
intelligat quænam sint opera nostri
Domini DEI. 211.
183. Quomodo homo per significatio-
nes divinarum Qualitatum percipiat
& intelligat peccatum Adami esse
generale in humana specie. 224.
184. Quomodo homo in divinis Qua-
litatibus percipiat & intelligat, quòd
noster Dominus DEUS possit esse
DEUS & Homo simul. 242.
185. Quomodo homo percipiat & in-
telligat

telligat finalem rationem, quam DEUS habuit ut esset simul DEUS & Homo. fol. 256.

- CAP. 186. Quomodo homo in significationibus divinarum Qualitatum & trium Legum percipiat & cognoscat, quòd noster Dominus JESUS Christus sit verè DEUS & Homo. 272.
187. Quomodo homo percipiat & intelligat quinam sit melior & verior modus, qui possit haberi in disputatione de Fide. 289.
188. Quomodo homo percipiat & cognoscat quænam Lex sit vera & quænam sit melior aliis. 306.
189. Quomodo percipiantur & intelligantur significationes, quibus significatur an homo sit in statu salvationis vel in statu damnationis. 320.
190. Quomodo homo percipiat & cognoscat tentationes. 335.
191. Quomodo homo percipiat & cognoscat quænam res sint culpa & peccatum. 350.

- CAP. 192.** Quomodo homo percipiat & cognoscat quænam sint majora bona, & quænam sint majora mala. f. 364.
- 193.** Quomodo homo percipiat & cognoscat quænam res sint veræ, & quænam falsæ. 379.
- 194.** Quomodo homo percipiat & cognoscat artem & modum, per quem possit se mutare à malis consuetudinibus ad bonas. 393.
- 195.** Quomodo homo percipiat & cognoscat, quòd divina Essentia non sit corrupta nec alterata nec coinquinata nec vilificatata, licèt sit conjuncta cum humana natura. 411.
- 196.** Quomodo homo percipiat & cognoscat, quòd mundus habuerit principium. 425.
- 197.** Quomodo homo per significationes sensuales & intellectuales percipiat & cognoscat futuram esse Resurrectionem. 441.
- 198.** Quomodo homo percipiat & cognoscat illas res, quæ ei eveniunt ad suum

suum bonum & ad suam utilitatem, & ipse putat, quòd ei eveniant ad suum malum & ad suum damnum. fol. 456.

CAP. 199. Quomodo homo per quædam contraria percipiat & cognoscat alia. 470.

200. Quomodo homo percipiat & cognoscat quænam sint orationes & preces, quæ DEO placent & quæ DEO non placent. 484.


201. Quomodo homo percipiat & cognoscat quinam sit sapiens & quinam nescius. 496.

202. Quomodo homo percipiat & cognoscat quinam sit amator & quinam difamator. 510.

203. Quomodo homo percipiat & cognoscat quinam sit verus & fidelis, & quinam falsus & deceptor. 524.

204. Quomodo homo percipiat & cognoscat qualiter habens bellum possit habere pacem & concordantiam cum suis inimicis. 540.

- CAP. 205. Quomodo homo percipiat & cognoscat res, in quibus est perfectio, & res, in quibus est defectus. f. 555.
206. Quomodo perceptio & cognitio hominis sit finita & terminata. 568.



BIBL. PUBL. MALLORCA



1056823

R. Llull 330

B. Ray. L.
Lib. Cont.

Tom. 6.

R 6

6

R.

Llull

330